MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80523-16

AUTHOR:

DE HAGEN, BENNO

TITLE:

NUM SIMULTAS INTERCESSERIT ...

PLACE:

IENAE

DATE:

1906

Master Negative #
92-80523-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hagen, Benno von, 1883-
Nvm simvltas intercesserit Isocrati cvm Platone. Dissertatio philologica qvam scripsit ... Benno de Hagen ... Ienae, typis G. Nevenhahni, 1906.
76 p. 25 cm.

Thesis, Jena, 1906.


Volume of pamphlets

137619

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-2-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

NVM SIMVLTAS INTERCESSERIT ISOCRATI CVM PLATONE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

BENNO DE HAGEN

GERANVS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMVI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

JENA, den 24. Februar 1906.

Geheimer Hofrat Professor D. Dr. Gelzer,
d. zt. Dekan.

PARENTIBVS CARISSIMIS

Sub finem Phaedri dialogi (p. 278 E sqq.) Plato Socratem a Phaedro interrogatum, quidnam de Isocrate iudicaret, haec verba dicentem facit: νέος ἔτι .... Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω ... δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ[1]) αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γὰρ .... ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Hoc uno tantum loco Plato de Isocrate loquitur; quo magis quaerebant viri docti alium locum in Platonis scriptis, quem ad Isocratem referre liceret. Nam iterum iterumque dubitabant, utrum illud vaticinium[2]) Platonis per Socratem de Isocrate factum intelligendum esset ex eventu an in dubium rei eventum. Atque primus omnium vvdd. recentiorum, qui de hac re perscripserunt, Leonardus Spengelius in illa commentatione „Isokrates und Plato"[3]) inscripta Platonem post Phaedrum iniquius de Isocrate iudicare debuisse exposuit: „Der Ausspruch (int. Phaedr. 278 E sqq.) ist kein vaticinium ex eventu, er konnte nur zu einer Zeit von Plato gegeben sein, als er noch Besseres von jenem hoffte und dessen Bestrebungen sich noch nicht in der Art entwickelt hatten, wie wir sie in seinen Reden vorliegen finden, d. h. sehr

1) Sic recte Vahlenus, Zeitschr. f. österr. Gymn. 1872 p. 513 sqq. cum codice Veneto. Cf. etiam Bergkii 5 Abhandlungen z. griech. Philosophie u. Astronomie p. 22 annot. 2.

2) Phaedr. p. 278 E ὃ μέντοι μαντεύομαι.

3) Abhandlungen d. kgl. bayr. Akad. d. W. philos.-philolog. Kl. (1855) p. 731 sqq.; ante Spengelium iam Heindorfius, Schleiermacherus, Sauppius alii adumbraverunt hanc quaestionem.

frühe" (p. 767). Posterioribus annis de amicitia Isocratis cum Platone intercedente non cogitandum esse. Atque eodem loco: „der Gegensatz beider Männer war zu gross, als dass eine innere Freundschaft oder Harmonie zwischen beiden bestehen konnte." Et in oratione adversus sophistas composita et in ea, quae 50 annis post περὶ ἀντιδόσεως scripta esset neque minus in ea, quae Παναθηναϊκός inscripta Isocrati iam seni attribueretur, Isocratem tam acriter invectum esse in philosophos, ut non verisimile esse posset Platonem, postquam animum mutatum Isocratis intellexisset, etiam tum eodem modo eum laudavisse atque in Phaedro. Id quod confirmari Euthydemi dialogi p. 304 D sqq., ubi Plato in illo anonymo Isocratem ut hominem omni philosophiae adversarium depinxisset. Nimirum in illo viro sine nomine descripto omnia Isocratis vitia clare exstare neque ad alium aequalem verba huius loci aptiora esse quam ad Isocratem. Qua in sententia Spengelii fundamenta posita sunt, ut ita dicam, plurimarum commentationum de Isocrate scriptarum, quarum e numero commemorentur: Reinhardtii, De Isocratis aemulis (Bonnae 1873), qui Spengelii libro nixus addidit nonnulla et amplius persecutus est (cf. imprimis p. 29 sqq.); Useneri, Abfassungszeit des Platonischen Phaidros, Rh. Mus. 35, 131 sqq.; Teichmuelleri, Litterarische Fehden im vierten Jahrhundert v. Chr. (1881); Bergkii, 5 Abhandlungen z. griech. Philos. u. Astron. (edid. Hinrichs Lips. 1883); Bonitzii, Platonische Studien (1886), ubi p. 131 annot. 22 haec leguntur: „dass unter dem λογογράφος (int. Euthyd. 304 D sqq.) kein anderer als Isokrates gemeint ist, hat Spengel . . . zur Evidenz gebracht. Ehe ein Versuch gemacht ist — und bisher ist dies meines Wissens nicht geschehen — die Ergebnisse jener Abhandlung zu widerlegen, ist es unnötig, ein Wort zur Verstärkung der Gründe hinzuzufügen." Blassius autem, cum vol. II libri sui[1]) non admodum declinaret a Spengelii ratione, vol. III 2 p. 390 mutavit sententiam, cum illum locum Euthydemi ad Isocratem referendum esse negavit. Auxit autem Spengelii quaestiones Duemmlerus in commentatione sua „Chronologische Beiträge zu einigen Platonischen Dialogen aus den Reden des Isokrates"[2])

1) Gesch. d. attischen Beredsamkeit (1892).

2) Progr. z. Universitätsfeier d. Universität Basel (1890), nunc in vol. I operum, quibus titulus est „Kleine Schriften" p. 79 sqq. (cf. etiam Gerckium in libro, qui inscriptus est „die Altertumswissenschaft im letzt. Vierteljahrh." [Suppl. ad Burs. annal. 1905] p. 527, qui nimis violentas putat Duemmleri sententias).

inscripta, cum studuit demonstrare inimicitiarum et cavillationum plena esse scripta et Isocratis et Platonis, quapropter de amicitia non esse cogitandum. Atque ultro citroque verbis habitis etiam his diebus reverterunt iterum ad Spengelium vvdd., velut Immischius, qui in libello, quem „Antike Angaben über die Entstehungszeit des Phädrus" inscripsit[1]), contra Ritterum (Ilb. annal. XI 248 sqq.) Spengelii rationem defendens p. 219 haec annotavit: „wie jemand, der nicht nur im Platon, sondern auch im Isokrates wirklich zu Hause ist, das absolute Auseinandergehen dieser zwei Naturen im Grossen, d. h. in den nicht gleichgültigen, sondern die Geister wie die Personen[2]) unbedingt scheidenden letzten und tiefsten Ueberzeugungen sollte leugnen können, das bleibt völlig unverständlich." Similiter etiam Christius in novissima editione (1905) libri sui „Geschichte d. griech. Litteratur" inscripti perseveravit in Spengelii sententia ita, ut per 50 annos Spengelius quasi praeceptor axiomatis perduraverit. Quo factum est, ut Spengelium secuti magis magisque abalienaverint vvdd. Isocratem et Platonem. Atque qui legerit omnes libros de hac quaestione conscriptos, facile intelliget iudicia recentiorum vvdd. paene contraria esse illi Platonis ipsius iudicio (Phaedr. p. 278 E sqq.), quod non sine causa p. 5 huius libelli attuli. Nam negligere videntur Platonem in Phaedro Isocratis ingenium et mores laudavisse, quae comprobatio non satis intelligi potest, si multis aliis locis contemptim de Isocrate Plato dixisse dicitur. Mihi autem haec deliberanti cum quanti momenti illa res esset ad tempora dialogorum Platonis determinanda intellexissem, opera dignissimum visum est inquirere in illam controversiam, quae inde ab anno 1855 habita est non sine ira et studio. Atque siquis Phaedri epilogum comparaverit cum illis recentiorum vvdd. sententiis de Isocrate et Platone habitis, neque supervacaneum neque inutile videbitur quaerere:

1) Berichte der philol.-histor. Klasse der kgl. sächs. Gesellsch. der Wissensch. (10. XII. 1904).

2) Contra hanc sententiam cf. quae Wilamowitzius annotavit „Aristoteles und Athen" I p. 325.

num simultas intercesserit Isocrati cum Platone
quam quaestionem maxime idoneum dividere censeo in has duas:

I. num Isocrates a Platone Euthyd. p. 304 D sqq. impugnatus sit.

II. num Isocrates laude atque amicitia Platonis indignus fuerit.

I. Num Isocrates a Platone Euthyd. p. 304 D sqq. impugnatus sit.

Priusquam accuratius disputamus de illo loco Euthydemi, quo Spengelius Isocratem a Platone vehementissime impugnari voluit, pauca nobis praefanda esse censeo de temporibus Phaedri et Euthydemi. Nimirum arte coniunxerunt vvdd. illam temporum quaestionem cum ea, quam tractamus. Atque Spengelius quamquam nihil certi exposuit de Euthydemi temporibus, tamen apparet eum conscriptum esse velle illum dialogum post Phaedrum, quem unum vetustissimorum Platonis dialogorum semel atque iterum declaravit. Quae opinio, quamquam testimonio veterum (Diog. L. III 36) confirmari videtur, tamen summa diligentia diiudicanda est. Neque enim quicquam falsius habuerim quam affirmare Platonem propterea, quod Isocratem adulescentem (p. 278 E) laudaret, temporibus adulescentis Isocratis Phaedrum conscripsisse [1]). Id enim semper deliberandum est, quod Plato — similiter atque Homerus — res et facta vetustiorum temporum describit, in quae transfert res et facta suae ipsius aetatis. Quapropter tempus conscriptionis a tempore fictionis subtiliter oportet internosci. Atque cum tempus conscriptionis Phaedri nequaquam scimus, facile circumscribere possumus fictionis tempus. Habemus enim terminum, ante quem scenae finguntur dialogi: annum 406 (cum Sophocles et Euripides etiam tum vivi cogitandi sint; cf. p. 268 C) et terminum post quem: annum 412/11, quo anno Lysias, qui Phaedro impugnatur, Thuriis cum fratre suo

---

1) Cf. exempli causa Waberi iudicium Progr. Kremsier (1886) p. 33: „der grösste Beweis (!) für die frühe Abfassungszeit des Dialogs Phädrus liegt in dem Lobe des Isokrates."

Athenas revertit (cf. Dionys. Hal. de Lysia p. 452 R. et Ps. Plut. vit. X oratt. p. 835 D sq.). Atque quoniam statuendum est nonnullos annos praeteriisse, priusquam Lysias dignus fieret quadam auctoritate, vel maxime probabile esse censeo inter annos 410—06 fictionem dialogi statuere. Platonem illis annis Phaedrum non scripsisse satis patet. Quapropter apparet Platonem verba p. 278 E *νέος ἔτι Ἰσοκράτης* tantummodo fictionis tempus respicientem scripsisse. — De conscriptionis tempore valde inter se discrepant sententiae virorum doctorum. Quae res ipsa nos docet Spengelii rationem non tantopere firmam esse quantopere putaverunt fere omnes, qui de Isocratis et Platonis necessitudine scripserunt.

Omnium Platonis dialogorum primum fuisse Phaedrum nostris temporibus similiter atque iam Schleiermacherus affirmavit Usenerus, qui (Rh. Mus. 35, 131 sqq.) Phaedrum iam a. 403/2 scriptum esse edocere studebat, cum verbis dialogi p. 257 D Archini calumniam designari exposuit. Sed Usenero astipulari nequeo. Nimirum ut omittam, quod illa relatio Archini nimis infirma [1]) videtur, Platonem Socrate vivente (i. e. ante a. 399) vix dialogos scripsisse mihi persuasi; quae ratio inde a Grotio satis communis facta est et late sparsa. Deinde id etiam reputari oportet, quod, si Phaedrus a. 403 scriptus esset, Plato tunc adulescens 25 annorum Isocratem laudavisset et commendavisset, quo nihil esse stultius iam C. Fr. Hermannus (Gesch. u. Syst. d. platon. Philos. p. 382) recte intellexit haec exponens: „es liesse sich keine grössere Dreistigkeit denken, als wenn ein junger Mann, der seinen ersten Schritt in die Welt tat, einen anderen Altersgenossen auf gutes Glück zu empfehlen und in ihm ein Gegengewicht gegen die berühmtesten Lehrer seiner Zeit aufzustellen gemeint hätte." Quibus causis universis commoti atque aliis argumentis nixi alio tempore i. e. posterioribus annis Platonem composuisse Phaedrum vvdd. edocuerunt. Atque plurimi

---

1) Sententiam Immischii, qui eadem de causa atque Usenerus Phaedrum iam a. 403 a Platone esse scriptum voluit („Zum gegenwärt. Stande d. platon. Frage." Neue Jbb. f. d. kl. Altert. 1899) reppulit optimo iure, ut mihi videtur, H. Gomperz, Archiv f. Gesch. d. Philos. (1903) p. 142: „dass man das sachlich so verwickelte Phädrusproblem mit solchen Einfällen . . . nicht lösen kann, scheint mir einleuchtend."

initio eius temporis, quo Plato philosophiae docendi in academia operam dabat (i. e. circa a. 387), Phaedrum tribuendum esse censuerunt, deliberantes Platonem in Phaedro defendere suam ipsius operam docendi et scribendi [1]). Quae sententia non sine momento est: nimirum si Phaedrus loco, quem Spengelius (p. 767) ei attribuerat, in posterius movetur tempus (387), etiam Euthydemus (si iure eum circa a. 390 scriptum esse vvdd. contendunt) caret relatione, quam Spengelius invenisse putavit: nequaquam enim neque tollere potest neque reicere iudicium Phaedr. 278 E sqq., id quod Sp. affirmaverat.

Longius progressus est in Phaedri tempore determinando Lutoslawskius [2]), qui loquendi usus observationibus nixus Phaedrum annis 380—78 attribuit; quod tempus etiam Teichmuellerus probabile existimavit. Vim enim inesse docuit verbis Phaedr. 279 A *οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ*, unde clare apparere iam antea alias scripsisse orationes Isocratem. Quapropter cogitandum esse de illis temporibus, quibus I. desiisset orationes iudiciales componere atque ad novum vel potius dicendi genus transiisset. (Litt. Fehd. I 79.) Tantummodo post Panegyricum (380) illam laudem Isocratis intellegi posse. „Das erste grossartige Produkt der neuen Tätigkeit war der Panegyrikos, so dass Plato keine Veranlassung hatte früher von ihm (Isokr.) so überschwängliches zu vaticinieren" [3]) (l. c.). At Teichmuellerus cum Phaedrum post a. 380 posuit, exeundi viam nancisci coactus est. Nam quamquam Isocratem

1) Cf. Ueberweg, Grdr. d. Gesch. d. Philos. (1903) I 180 sq.: „der Phädrus ist zugleich eine Rechtfertigung der Lehrtätigkeit, die Plato übte." Sic etiam iam Fridericus Nietzsche in scholis suis 1873/4, cf. C. Ritterum Ilb. annal. XI p. 241. Etiam ex ea re, quod Pythagoreorum praeceptorum mentio fit, post reditum ex Sicilia (387) Phaedrum posuerunt vvdd. Cf. etiam Steinharti praefat. ad Hier. Muelleri translat. oper. Plat. germanic. vol. IV (Lips. 1854) p. 34.

2) „The origin and growth of Plato's logic" (Lond. 1897); cf. ea quae Blassius l. c. III 2 p. 383 sqq. exposuit. Quod ad Lutoslawskii sententias, Theodoro Gomperz assentior, qui sic iudicat: „die Sachkriterien weisen dem Phaidros eine andere Stelle zu als die Sprachkriterien." (Platon. Aufsätze [Vindobon. 1887] I p. 27 sq.)

3) Similiter Holzinger, Festschrift für Vahlen (1900) p. 691: „der Ansatz 'um 390' für den Phaidros trifft das Richtige. Phaedr. 279 A bezieht sich natürlich auf den Panegyrikos"; sed concedit „aber nicht etwa auf den fertigen und herausgegebenen, sondern auf die schon in ihren äussersten Umrissen entworfene Prunkrede."

Euthyd. p. 304 D sqq. notatum esse cum Spengelio putavit, tamen revera — Phaedri tempus post Euthydemum determinans — Spengelii rationem quassavit. Atque in contrarium quasi convertit rem haec explicans: „der Euthydem setzt voraus, dass Is. noch Logograph war und den Panegyrikos noch nicht geschrieben hatte." (l. c. I 49). Simili modo etiam Eduardus Meyer (Gesch. d. Altert. V p. 331) impetum Platonis Euthyd. p. 304 D sqq. tantummodo ante illam laudem Phaedr. p. 278 E sqq. intelligendum esse adumbravit. Euthydemus igitur ab illis viris doctis ante Phaedrum ponitur. Quas omnes sententias attuli, quia nos docent nihil difficilius esse quam de Phaedri tempore recte diiudicare. — Neque meliore conditione sumus in Euthydemo tractando. Nimirum ut praetermittam id, quod fictionis tempus satis constat (ca. a. 420; cf. Munk, d. natürl. Ordnung d. platon. Schriften [1857] p. 168), de conscriptionis tempore nihil certi perspexerunt vvdd. Quin etiam non deerant, qui Platonis esse Euthydemum negarent, velut nostris temporibus Lueddeckius (Progr. gymn. Cellens. 1897, Die Fragen d. Echtheit u. Abfassungszt. d. Euthyd.), quo in libello Euthydemum a. 342 (i. e. post Platonis mortem) ab uno ex Aristotelis discipulis esse scriptum demonstrare studebat. Sed etiam sententiae eorum, qui geminum putant Euthydemum, ita in diversum tendunt, ut magis turbare possint, quam ad exitum adducere nostram quaestionem. Nam cum S. Sudhaus (Rh. Mus. 44, 52 sqq.) Euthydemum post Isocratis orationem contra sophistas [1]) scriptum esse affirmaret, Blassius II 33 post Isocratis Helenam, Bergkius (l. c. p. 29) usque ad a. 364 descendit. Atque mihi quidem videtur fieri non posse, ut omnino disceptemus, quo tempore Euthydemus conscriptus sit. Id solum dubitari non posse mihi persuasi, quin in numero vetustiorum [2]) dialogorum habendus sit. Nimirum nihil clarius est quam Antisthenis [3]) doctrinam et scholam hoc dialogo illudi [4]). Perversissimum autem

1) Lubrica res est, praesertim cum de temporibus illorum scriptorum certum nuntium non habeamus.

2) Teichmuellerus I p. 51 annum 391 sive 390 proponit; Stallbaumius in disputat. Euthyd. p. 64 adulescenti Platoni Euthydemum attribuit.

3) Quippe quem ipsam post mortem Socratis scholam condidisse satis notum est.

4) Cf. Duemmleri Academic. p. 188.

existimo ex loco Euthyd. 304 D sqq., quem Spengelius tamquam ad Isocratem spectantem intelligendum esse voluit, coniecturam de tempore conscriptionis facere. Nimirum iam vidimus difficile esse ex Phaedri loco (p. 278 E sqq.), ubi Isocrates nomine nominatur, aliquid certi concludere de temporibus. Nihilominus si vestigiis Isocrateis tempus determinare conamur, solum Phaedrum nobis aliquam ansam posse dare manifestum est. Quare optimo iure quaesiverunt vvdd., qua occasione commotus Plato Isocratem p. 278 E sqq. laudaverit. Sed etiam in hac re vigilare necesse est. Nam alii alius Isocratis meriti mentionem fieri voluerunt. Sunt autem, qui ad Isocratis orationem contra sophistas Platonem in Phaedro spectavisse affirmaverint. Cum enim iam pridem observassent communes inveniri sententias et in Isocratis oratione et in Platonis dialogo [1]), iterum iterumque quaesiverunt, utrum hic Plato ab Isocrate penderet an Isocrates a Platone. Atque omnes, qui Platonem in Phaedro propterea Isocratem laudavisse putabant, quia illas sententias Isocratis orationis XIII cognovisset, Phaedrum ipsam post illam orationem scriptum esse voluerunt [2]). Susemihlius autem ante Isocratis contra sophistas orationem Phaedrum posuit [3]). Sed frustra viros doctos quaesivisse censeo, utrum Platonis Phaedrus an Isocratis contra sophistas oratio prior sit scripta. Nam in lubrico versantur qui de tempore conscriptionis libri ex similibus sententiis coniecturam faciunt, praesertim cum (velut in hac causa) de sententiis agitur, quos uterque per se ipse habere potuit. Quare neque Blassio neque Susemihlio astipulari possum. Quam periculosa sit illa ratio temporis determinandi, exemplo, quod ex Germanorum poesi petitum est, confirmare mihi liceat. Quis est qui nesciat Goethii ambulationem Fausti et Wagneri? Hic Faustus gaudio diei festi paschae affectus his verbis quid sentiat eloquitur: „Jeder sonnt sich heut so gern, sie

1) Cf. Is. c. soph. 14 cum Plat. Phaedr. 269 D, 17 cum 271 D, 16 cum 272 A. Quam consensionem iam Spengelius (p. 745) observavit; cf. etiam Reinhardtii dissert. de Isocr. aemulis p. 29.

2) Blassius III 2 p. 394: „dass das Verhältnis zu Is. XIII dies ist, dass Plato den Is. berücksichtigt, nicht dieser von jenem borgt, ist ... meine Meinung.“ Similiter Natorp, Hermes 35, 436; contra quem H. Gomperz, Arch. f. Gesch. d. Philosophie (1903) p. 146.

3) ‘De Platon. Phaedro et Isocr. contra soph. orat.’ Gryphiswald. 1887; cf. etiam Gerckii adnotationes in Hermae 32, 365 sqq.

feiern die Auferstehung des Herrn. Denn sie sind selber auferstanden“ e. q. s. Atque similem vel fere eandem sententiam [1]) legimus in Herderi ad sponsam epistula [2]) 19. IV. a. 1772 data: „Christ ist auferstanden. Auch die Natur steht auf! Die gute alte Mutter verjüngt sich. Lassen Sie uns auch aufstehen und nach allem, allem Kummer und Nachtgrauen des Winters nicht zurücksehen.“ Siquis ex similitudine horum locorum de tempore coniecturam faceret, idem peccaret atque omnes, qui in Phaedri tempus illo modo (cf. p. 12) inquisiverunt. Neque enim Herderus a. 1772 illam partem Fausti cognoscere potuit (Fausti ambulationem Goethius a. 1801 scripsit), nedum Goethius, cum illa verba scripsit, Herderi ad sponsam (!) epistulam legisset.

Proinde si quaerimus, qua re commotus Plato in Phaedro Isocratem laudaverit, oratione contra sophistas conscripta nixi non recte iudicabimus. Atque mihi quidem probabilius esse videtur Platonem illo loco rationem habuisse Isocratis orationis *περὶ τοῦ ζεύγους* inscriptae, qua in oratione Isocrates, Lysiae adversarius, Alcibiadem iuniorem defendens patris [3]) merita laudibus extulerat. Ex quo efficitur, ut Platonis gratiam consecutus sit. Quis enim est, qui nesciat Platonem Alcibiadi, ut Socratis discipulo carissimo, cum ‘Protagora’ et ‘symposio’ dialogis monumentum collocaverit aere perennius, amicum se ipsum praestitisse Alcibiadis summa admiratione imbutum [4])? Quem Alcibiadem, cuius de fama Lysias detrahere ausus erat, Isocrates cum laudibus extulit, Platoni quasi officium praestitit. Quare verisimile puto Platonem hac Isocratis oratione commotum illud vaticinium Phaedr. p. 278 D sqq. scripsisse [5]). Isocratis orationem cum Blassius [6]) a. 397 scriptam esse edocuerit, Phaedrum post illum annum statuendum esse apparet. Sed haerere videtur aliquid dubitationis. Nimirum

1) Qua de re nos admonuit Ericus Schmidt in scholis suis.

2) „Aus Herders Nachlass, ungedruckte Briefe“ e. q. s. vol. III p. 229 sq. (edidd. H. Duentzer et Fr. Godofredus Herder 1857).

3) A. pater per iniuriam Olympia vicisse dicebatur; poenas illius patris delicti filium expiare L. voluit (cf. Lys. or. 14, quam Lysiae esse, etsi quidam non putant [Harpocratio sub v. *Ἀλκιβιάδ.* Blass I 491 sq.] mihi quidem persuasi, cf. Reinhardtii dissert. de Is. aemulis p. 3, 2).

4) Cf. J. Brunsii, „d. Litterar. Portrait“ p. 251.

5) Quam sententiam posterius inveni apud Duemmlerum (Kl. Schriften I 134 sq.).

6) II 225; cf. etiam Sannegii diss. ‘De schola Isocratea’ (Halis 1887), qui inter annos 402—398 eam posuit.

Platonis verba *εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων κτλ.* summa diligentia interpretanda esse a Teichmuellero didici, qui l. c. I 60 haec: „es können damit“, inquit, „eben im Gegensatz zu den von Plato verachteten Prozessreden nur die epideiktischen gemeint sein.“ Atque I 69: „abgesehen davon, dass die Tätigkeit eines Logographen, der für Geld auf Bestellung arbeitet, dem Plato keine besonderen Freundschaftsgefühle einflössen konnte, so *wäre es doch mehr als erstaunlich, dass Plato auf die Gerichtsreden des Is.* das Urteil hätte gründen sollen, sein Freund werde alle jemals aufgetretenen Redner wie Kinder hinter sich lassen!“ Sed si *Brunsii* expositiones optimas recordati erimus, facile intelligemus pluris aestimandam esse illam orationem Isocratis *π. τ. ζεύγους* quam logographorum more scriptam et iam posteriori Isocratis generi laudationum (velut Euagorae [1]), Timothei [2]) [Antid. 101 sqq.]) propinquam et finitimam magna esse laude dignam. Proinde et forma et argumentum illius orationis Platoni facultatem laudandi praebere potuerunt. Quod mihi quidem confirmari videtur illis Platonis verbis Phaedr. 279 A: *δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι.* Quae comparatio Lysiae et Isocratis post illam causam Alcibiadis optime intelligi potest. Quam ob rem circa a. 395 Phaedrum scriptum esse verisimile puto [3]) — et ultra verisimilitudinem in hac re tam difficili et ardua progredi non licet.

Sic ad finem nostrae quaestionis pervenimus neque Spengelii rationem non esse labefactandam affirmare possumus. Nam Phaedri tempus tantummodo ut probabile demonstremus fieri posse vidimus neque quicquam certi constitui de Euthydemi tempore ita, ut

---

1) *Bruns* l. c. p. 502.

2) p. 528.

3) Quamquam concedo etiam compluribus annis post dialogum scriptum esse posse, quia Lysiae oratio (14), qualis nobis tradita est, Ol. 96/2 = a. 395/4 attribuitur. (*Blass* I 489.) *Brunsius* l. c. p. 495 ex ea re, quod et Isocratis oratio ad Lysiam et Lysiae oratio (cf. § 32 sqq.) ad Isocratem spectet, recte concludit: „als Is. seine Rede veröffentlichte, nahm er auf das noch nicht veröffentlichte lysianische Plaidoyer Bezug, als L. die seine herausgab (395/4), lag ihm die isokrat. Publikation vor“. Quapropter etiam post a. 395/4 Platonem, cum *Lysiae* accusationem calumniasque legisset, Isocratem Phaedr. 278 E sqq. laudibus efferre potuisse concedatur. Neque ita multo post scriptum esse Phaedrum censeo.

revera dubium sit, utrum Phaedrus prior sit statuendus an Euthydemus. Quae cum ita esse intellexerimus, Spengelii sententiam in fundamento positam esse nimis infirmo satis apparet etiam tum, si Euthydemi locum revera ad Isocratem spectare concedimus.

His praemissis accedere possumus ad disputationem ipsam illius loci Euthydemi 304 D sqq., quo loco Spengelius Platonem Isocratis laudem Phaedri 278 E sqq. retractavisse atque in irritum vindicavisse voluit. Nobis autem, cum hoc sensu (i. e. Euthyd. *post* Phaedr.) illum locum non interpretandum esse cognoverimus — neque enim constare quicquam certi de temporibus Phaedri et Euthydemi satis apparuit — inquirendum est in illud Platonis Euthyd. 304 D sqq. etiam propterea, quia non deerant, qui quamquam Euthydemum *ante* Phaedrum determinaverunt — qua sententia ipsa Spengelii rationem labefactari in propatulo est — tamen Euthyd. 304 D sqq. perseverandum esse in illius de Isocrate interpretatione affirmaverunt. Quare sequatur *disputatio de Euthydemi* p. 304 D sqq.

Refertur hic colloquium inter Socratem et Critonem habitum. Atque narrat Crito, qui illi Socratis cum Euthydemo et Dionysodoro colloquio non interfuit, sibi ea disputatione finita virum obviam esse factum, qui graviter conquereretur, quod tam miseras agerent nugas philosophi et in rerum inanium tractatione versarentur; deinde illum virum etiam universam philosophiam rem turpissimam iudicavisse et homines eius studiosos viles ridiculosque habuisse. Atque primum respondet Crito Socrati interroganti quisnam ille fuerit, ex eorum eum genere esse, qui scriberent aliis orationes, numquam vero ipsi haberent. Respondet tum Socrates Critoni: notum sibi esse illum virum, quippe qui eorum numero inserendus esset, qui leviter gustarent philosophiam et mediocriter rem publicam attingendam putarent eamque ipsam ob causam sibi soli sapientes viderentur. (Cf. Stallbaumi disputat. de Euth. p. 45.)

Nomen igitur illius viri quia non appellatur, quaesiverunt viri docti quis fuerit. Atque Isocratem sub illius anonymi persona esse notatum Spengelius l. c. p. 765 his verbis expressit: „Gewiss sind viele Redner gegen Philosophie überhaupt aufgetreten, aber keiner wollte dann noch als Vertreter dieser eine grosse Bedeutung haben ... man wird keinen zweiten Namen dieser Art finden, welcher der Zeichnung im Euthydem mehr

entspräche als unser Redner. Auch was über Politik gesagt wird, ist begründet und bei keinem als bei Isokrates so nachweisbar." Atque commonefacit Spengelius verborum Panegyrici § 170 sq., ubi Isocrates eos, qui ad rem publicam se contulerunt, vituperat, quod in miseris nugis tempus consumant et de summis rebus rei publicae consilium sibi, qui in re publica administranda non versatus sit, permittant. Atque pergit Spengelius: „bezeichnend ist aber auch das dritte, dass dieser λογογράφος im Gerichte nicht aufgetreten sei, was allein schon jeden zunächst und zuerst an Isokrates zu denken nötigt" [1]. Quae sententia inde a Spengelio fere communis facta est et late sparsa. Sic exempli causa Teichmuellerus l. c. I 49 fere idem atque Spengelius affirmat „dass dem Is., welchem die philosophische Grundlage gänzlich fehlte und der auch nicht den Mut zu öffentlichem Auftreten besass, eine Lektion gegeben wurde, da er als Mittelding zwischen Staatsmann und Philosophen beiden untergeordnet sei."

Neque tamen deerant, qui negarent hoc loco causam esse, cur unum aliquem certum notari existimemus, velut iam Socherus (Ueber Platons Schriften, Monac. 1820) p. 210 annotavit: „nach Schleiermacher soll die Schule des Isokrates gemeint sein. Ich denke nicht: von Is. dachte Plato freundschaftlich (Phaedr. 279 A): der Redenschreiber gab es in Athen genug; es bedarf der persönlichen Beziehung auf einen der besseren nicht." Et Stallbaumius disp. de Euthyd. p. 203: 'perstringitur', inquit, 'tota illa misellorum scriptorum cohors, qui quum nec mediocres philosophi essent neque rei publicae darent operam, tamen intolerabili quadam sapientiae opinione erant inflati atque philosophiae laudibus detrectare studebant.' Quibus cum viris

1) Similiter iam Heindorfius in annotat. ad nostrum locum editionis suae p. 413 (Berol. 1806): ceterum quae hic (int. p. 305 C) et deinceps dicuntur, in Isocratem imprimis conveniunt, quem haud dubie h. l. respexit Plato, quamvis eius honorificentissimam mentionem in Phaedro fecerit. (Cf. etiam Schleiermacheri praefat. ad Euthyd. interpretation. germanic. p. 279.) Similiter etiam Welckerus, Kleine Schriften II p. 445 sq. neque omittam Sauppii recensionem diss. Godofredi Pfundii (de Is. vita et scriptis), quam nunc invenias in libro, cui titulus datus est „Ausgewählte Schriften", ubi p. 11 sq. Sauppius, quamquam in anonymo Theodorum esse depictum contendit, tamen haec concedit: „Isokrates musste sich im Bilde des Ungenannten wiedererkennen, auch wenn er nicht gemeint war." Atque ita paene ad castra eorum transiit, qui pro Isocrate militant.

doctis Blassius facere videtur l. c. III 2 p. 390, Euthyd. p. 304 D sqq. vix in Isocratem referendum esse exponens: „die bekannte Stelle über den Redenschreiber ... passt übrigens nur im allgemeinen und nicht in Besonderheiten, so dass man garnicht gezwungen ist, überhaupt an eine bestimmte Persönlichkeit zu denken." Quod comprobare nequeo; immo potius h. l. unum aliquem notari mihi persuasi deliberans iam ipsa verba p. 305 b οὐδὲ οἶμαι πώποτ᾽ αὐτὸν ἐπὶ δικαστήριον ἀναβεβηκέναι ad totum genus scriptorum vix referri posse (Funkhaenel, Zeitschr. für die Altertumswissenschaft 1835 No. 103). Deinde deliberandum est id quod anonymi verba p. 304 E afferuntur, quod Crito confirmat addens: οὑτωσί γάρ πως καὶ εἶπεν τοῖς ὀνόμασιν [1]. Quibus ex locis satis apparet hic de certa persona cogitandum esse, cuius nomen num explorandum sit, alia quaestio est.

Neque deerant, qui alios scriptores illius aetatis notatos esse posse affirmarent. Quorum sententias nobis in transitu attingendas esse puto.

Atque de Lysia cogitavit Groen van Prinsterer [2], quam opinionem reiecit Sauppius [3], qui Lysiam ipsum in iudicium adiisse edocuit, cum hoc loco de scriptore ageretur orationum forensium, qui nondum coram publico orationem habuisset. Et Stallbaumius l. c. p. 48 sententiam eorum, qui de Lysia cogitant, impugnat his verbis 'Lysias etsi in Phaedro acriter corripitur, quia in scriptionibus eius amatoriis omnis desideretur philosophia, tamen non accusatur calumniae nec vero pro animi sui candore et simplicitate umquam in Socratem iniquus fuit.'

Atque eodem iure de Antiphonte [4]) cogitari posse censeo. Sed contra eum valet, quod Plato eum non nominavit; nam

1) Stallbaumius l. c. p. 48 cum Platonem nihil dixisse affirmet, quod non in omnes istius modi homines conveniat, viam exeundi nanciscitur hanc: 'ex quo consequens est, ut communes eorum virtutes et vitia uni personae tributae sint, per quam omnes repraesentarentur.'

2) Prosopographia Platon. p. 116 sq.: Lysias a philosophia abhorrebat; Isocrates coluit ipsam: Lysias orationibus maxime scribendis, Isocrates imprimis discipulis inclaruit instituendis; Lysiam Plato non amavit; Isocratem dilexit.

3) l. c.

4) 'Antipho Rhamnusius primus fertur orationes iudiciales scripsisse, quas litigantibus venderet' Stallbaumius l. c. p. 46 sq.

nomen ponere cur omiserit Plato, causa vix excogitari potest nisi in viro aequali, qui etiam tunc viveret.

Thrasymachum Chalcedonium significari Winckelmannus[1]) contendit. Sed Sauppius l. c. Thrasymachum nimis ut sophistam describi a Platone, quam ut apta essent verba Euthyd. p. 305 E *μετρίως μὲν φιλοσοφίας ἔχειν*. Atque conferas etiam, quae Stallbaumius l. c. contra hanc sententiam exposuit.

Theodorum Byzantium sub illius anonymi persona significari Sauppius l. c. ea de causa existimavit, quia verba *πάνυ ἐξ εἰκότος λόγου* (Euthyd. p. 305 E) ad eum spectare viderentur, quippe qui in arte sua maxime *τὰ εἰκότα* tractavisset. Cui sententiae Stallbaumius l. c. adversari se declaravit: omnium omnino rhetorum studium inde a Tisia et Corace ad *τὰ εἰκότα* pertinuisse ex Phaedro apparere (cf. p. 267 A, 272 D sq.).

Itaque non ab omnibus[2]) in illo viro sine nomine descripto Isocrates agnoscitur, qui num impugnatus sit sub anonymi persona, nunc inquiramus.

Atque primum quaeratur, qualis fuerit ille vir, qui Critoni obviam factus est. Crito ipse de eo dicit: *ἀνὴρ οἰόμενος πάνυ εἶναι σοφός, τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν* (p. 304 D). Deinde (p. 305 C) Crito a Socrate interrogatus, utrum ille, quocum congressus esset, fuisset *ῥήτωρ* i. e. orator, qui ipse coram iudicibus causas ageret, an aliquis eorum, qui litigaturos in iudicium mitterent, respondet: *ἥκιστα νὴ τὸν Δία ῥήτωρ, οὐδὲ οἶμαι πώποτ' αὐτὸν ἐπὶ δικαστήριον ἀναβεβηκέναι, ἀλλ' ἐπαΐειν αὐτόν φασι περὶ τοῦ πράγματος νὴ τὸν Δία καὶ δεινὸν εἶναι καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι.* Quibus ex verbis clarissime apparet unum aliquem, qui in aliorum usum[3]) orationes scriberent, hic esse designatum.

1) Prolegg. ad Euthyd. p. 34 sqq. Cf. etiam C. Fr. Hermanni (Gesch. u. Syst. d. platon. Philos.) p. 629 annotationem. Hic etiam proponit de Polycrate cogitare.

2) Etiam Hirzelius (d. Dialog I p. 218) iniuria de Isocrate cogitavisse viros doctos annotavit.

3) Cf. Duemmleri Academic. p. 275 sq.: „zum Schluss p. 304 D wird ein Gerichtsredenschreiber eingeführt.“ Cf. etiam Zelleri adnotationes (Sitzungsber. der Berl. Akad. d. W. 1886 p. 647), qui exposuit perperam a Bergkio (l. c. p. 18 sq.) relatum esse illum locum Platonis Theaeteti p. 175 C ad Isocratem, quem *λογογράφον* non fuisse satis pateat:

Spengelius autem cur Isocratem significari affirmaverit propterea, quod ille *λογογράφος*, ut ipse dicit (cf. supra p. 16), numquam in iudicium adisset, non satis intelligo. Nam quamquam constat eum propter vocis exilitatem numquam in publicum prodisse, tamen reputandum est eum *λογογράφον* neque fuisse neque haberi voluisse. Profecto servatae sunt nonnullae orationes iudiciales ab Isocrate scriptae, sed non unam, nedum propriam fuisse operam in eis positam satis notum est. Praeterea tantummodo adulescens versatus est in hoc negotio et inde ab a. 393 destitit aliis scribere orationes (cf. Cic. Brut. 12, 48). Sed ex verbis huius loci (Euthyd. p. 304 D) *τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν*[1]) evidenter elucet hanc operam fuisse principem et prope omnem illius viri, id quod confirmatur verbis, quae sequuntur: *ἐπαΐειν αὐτὸν ... καὶ δεινὸν ὄντα καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι.* Deinde conferamus Phaedri p. 279 A verba p. 5 allata, ubi Plato Isocratem laudat, quod non morem Lysiae in orationibus tenuit, quo potiorem et amabiliorem esse censet. Ibi igitur Isocratis opera nullo modo vituperatur et, si Phaedrus recte a me circa a. 395 ponitur, etiam Isocratis *λογογράφου* (quippe cuius or. *π. τ. ζεύγους* hoc tempore confecta sit) mentio fit honorifica. Atque hic in Euthydemo eiusdem viri eandem operam vehementissime vexari putaremus! Id existimari nequit. Quare, si fieri potest, ut hic de Isocrate cogitemus, Euthydemus ante illam laudem Phaedri i. e. ante a. 395, quin etiam ante a. 397[2]) ponendus est. Neque vero post Phaedrum eum conscriptum esse credibile est; nam tum iudicium Euthydemi pugnaret cum Phaedri fine atque hic vituperaretur eadem opera, quae illic laudaretur. Nimirum si Plato postquam in Phaedro benevole iudicavit de Isocrate, aliter iudicare potuit, tantummodo posterioribus Isocratis scriptis — nequaquam autem orationibus iudicialibus — commotus aliter potuit iudicare; quod Spen-

„am wenigsten liesse sich ... in dem *δριμὺς καὶ δικανικός*, dem Plato hier (sc. Theaet.) entgegentritt, in dem Advokaten, der sich nur auf Rechtsstreitigkeiten und auf *δουλικὰ διακονήματα* versteht, Isokrates wiedererkennen.“ Cf. etiam Natorp, Platos Ideenlehre p. 93, 1.

1) Quare Teichmuellerus I 79 annotat: „auch den Busiris konnte er (Is.) noch nicht geschrieben haben, weil er sich dort schon mit Politik beschäftigt.

2) Hic est annus orationis Isocratis *π. τ. ζεύγους*.

gelius ipse intellexit. Neque enim in prioribus, sed in posterioribus orationibus Isocratis offendisse Platonem Sp. exposuit [1]).

Praeterea Isocrates non professus est orationum forensium scriptionem et saepius de crimine, quasi *λογογράφος* esset, se purgavit. Quam parvi aestimaverit Isocrates orationes iudiciales elucet ex Paneg. 11 sq., ubi fiducia sui plenus se ab iis discessisse fatetur. Legas deinde Antid. 2: *ἐγὼ γὰρ εἰδὼς ἐνίους τῶν σοφιστῶν βλασφημοῦντας περὶ τῆς ἐμῆς διατριβῆς καὶ λέγοντας, ὡς ἔστι περὶ δικογραφίαν, καὶ παραπλήσιον ποιοῦντας, ὥσπερ ἂν εἴ τις Φειδίαν τὸν τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος ἐργασάμενον τολμῴη καλεῖν κοροπλάθον ἢ Ζεῦξιν καὶ Παῤῥάσιον τὴν αὐτὴν ἔχειν φαίη τέχνην τοῖς τὰ πινάκια γράφουσιν κτλ.* Cf. quaeso §§ 27, 38, 40 sq., 144, 228. Atque post mortem Isocratis magistri Cephisodorum contra Aristotelis hanc ob rem in ipsum coniecta crimina defendisse Isocratem Dionysius Hal. de Isocr. c. 18 enarravit [2]).

Quod autem I. tam anxie spectabat, ne *λογογράφος* haberetur, fortasse etiam Platonis in Phaedro laus causa fuit. Nam cum Plato eum altiorem gradum (*οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ*) ascendisse dixisset, Isocrates habuit sane, cur illam pristinam operam, quam revera iam primo decennio 4. saeculi superavit [3]).

Quibus causis commoti anonymum huius loci, quem *λογογράφον* fuisse docemur, Isocratem non habebimus.

Neque facere possum cum iis, qui quod de anonymi philosophiae contemptione dicitur, ad Isocratem referendum esse affirmabant. Quam ob rem propius ad locum nostrum accedamus!

A Critone interrogatus, quales sibi videantur illorum disputationes, respondet anonymus summa audacia: *τί δὲ ἄλλο . . . ἢ οἷάπερ ἀεὶ ἄν τις τῶν τοιούτων ἀκοῦσαι ληρούντων καὶ περὶ οὐδενὸς ἀξίων ἀναξίαν σπουδὴν ποιουμένων;* et Critoni

1) Si vero Euthydemus ante a. 397 scriptus est — neque quicquam certi statuendum esse iam vidimus — Phaedrus (395) illam vituperationem Isocratis, quam Euthyd. p. 304 D sqq. inesse vvdd. putant, reicit: ergo Euthydemus non magni momenti est ad Platonis de Isocrate iudicium cognoscendum. Sin autem post Phaedrum statuendus est, ad Isocratem referri nequit.

2) Cf. infra.

3) Atque iam or. c. soph. 19 vituperat I. eos qui *δικάζεσθαι διδάξειν ὑπέσχοντο.*

quaerenti '*ἀλλὰ μέντοι χαρίεν γέ τι πρᾶγμά ἐστιν ἡ φιλοσοφία*' pergit: *ποῖον . . . χαρίεν, ὦ μακάριε; οὐδενὸς μὲν οὖν ἄξιον . . . . ἀλλὰ γὰρ . . τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ἐπὶ τῷ πράγματι διατρίβοντες φαῦλοί εἰσιν καὶ καταγέλαστοι.* Tam contemptim anonymus loquitur de philosophia et iis, qui huic student. Neque intelligo quomodo fieri potuerit, ut Spengelius et alii haec verba respicientes de Isocrate cogitarint.

Nimirum tantum aberat, ut I. philosophiam despiceret, ut eristicorum studia philosophiae nomine indigna haberet (cf. c. soph. 1; Hel. 1, 6; Antid. 258; ep. V 3). Quod autem suo tantummodo studio nomen philosophiae arrogavit — neque absolvendus est arrogantiae cuiusdam — nondum argumentum est eum veram illam philosophiam despexisse. Quam rem recte intellexit Iohannes de Arnim [1]) haec exponens: „uns berührt es ja freilich

1) Praefat. ad librum „Leben u. Werke d. Dion v. Prusa“ inscriptum (Berol. 1898) p. 67. Aliter iudicavit de hac re Spengelius Philol. XIX p. 598: Isokrates „der sich mit nobler ... Unverschämtheit einen *φιλόσοφος* nannte!“ id quod paulo calidius iudicatum et dictum est. Neque enim id Isocrati crimini tribuendum est, quod voce usus est ad studium suum significandum, quam etiam Plato adhibebat. Quare Duemmlero non assentior, qui Isocratem vituperavit, quod illam Platonis philosophiae peculiarem vocem '*ἰδέα*' Hel. 54 sibi vindicaverit. Qua abusione Platonem offendi opportuisse putavit Duemmlerus Acad. p. 55. Contra quem recte G. Thiele, Hermes 36, 256: „dem Ausdruck *ἰδέα*“, inquit, „hier (Hel. 54) eine besondere Bedeutung beizulegen, sehe ich keinen Grund ... es heisst weiter nichts als diese Art von Besitz (quod substantivum vel simile eiusmodi ex antecedentibus intelligi vult). Quo cum usu dicendi Th. confert Panath. 2: „wo die Parisosen usw. eine besondere 'Art' von Ausdrucksmitteln genannt werden.“ Hac significatione etiam aliis locis vocem '*ἰδέα*' usurpatum invenimus, velut apud Isocratem Phil. 143: *ἀλλὰ . . . εἱλόμην ἀποσχέσθαι τῆς τοιαύτης ἰδέας* nimirum *ἐπιδείξεως* (cf. Benselerum ad h. locum: „Art der Darstellung“) *Ἐπιδείξεως* enim *ἰδέαν* intelligi oportere elucet ex verbis quae antecedunt *πῶς οὐ . . . ῥαδίως ἂν ἐπέδειξα.* Similiter Thuc. II 19, 1 *πᾶσαν ἰδέαν πειράσαντες*, nimirum *προσβολῆς*, quod substantivum promendum est ex antecedente voce *προσβαλόντες*. *Ἰδέα* non verbum erat tantummodo philosophorum, sed etiam vulgi. Et hoc sensu etiam apud Platonem invenies cf. Phaedr. 246 A Rep. VIII p. 544 A *τῶν δὲ λοιπῶν πολιτειῶν τέτταρα εἴδη* (*εἴδη = ἰδέαι*, cf. Hesych. sub *ἰδέα*, I. H. Schmidt, Synonymik d. griech. Sprache I [Lips. 1876] s. v.) Rep. VIII 544 C *ἤ τινα ἄλλην ἔχεις ἰδέαν πολιτείας.* Item Isocrates Panath. 132, ubi tres *ἰδέαι* rerum publicarum enumerantur. Etiam hoc loco *ἰδέαι* nostro sermone per „Arten“ interpretanda sunt. Hic usus dicendi late erat sparsus. Cf. Herod. 6, 119 *φρέαρ παρέχε-*

seltsam, wenn Is. sich Philosophie zuschreibt, weil wir die spätere Vorstellung mit dem Worte verbinden. Für die Zeitgenossen, soweit sie nicht grundsätzlich einen anderen Standpunkt in der Erziehungsfrage einnahmen, lag darin nichts Auffallendes oder Anstössiges. Eine Ueberhebung könnte doch nur darin gefunden werden, wenn er nicht diese Ausdrücke auf jeden beliebigen Studenten der Rhetorik anwendete [1]. Quae verba iam non paucos corrigunt errores [2]. Accedit quod multi alii sibi assumpserunt illud nomen: velut Alcidamas (c. soph. 2, 15, 21), Lysias (Olymp. 3), Polycrates (Bus. 1, 43), cf. Ed. Meyeri l. c. V p. 331. Reputandum igitur est Isocratem, si philosophus esse voluerit, Euthydemi loco allato non posse notatum esse. Nam omnem omnino abiecit philosophiam anonymus, qui si Isocrates esset, suum ipsius studium accusavisse statuendus esset. Isocratem autem etsi philosophiae operam sic impendisse, ut Platoni satisfaceret, nemo erit qui contendat, tamen nullo modo censere licet eum tam contemptim de philosophia in universum et iis, qui ei student, locutum esse quam anonymum Euthyd. 304 E *ποῖον χαρίεν* [3]; *οὐδενὸς μὲν οὖν ἄξιον.* 305 A *ἀλλὰ γὰρ . . . τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ οἱ ἄνθρωποι*

ται τριφασίας ἰδέας. Aristoph. Ran. 384: *ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν.* Av. 993. Thuc. I 109, 1 *καὶ αὐτοῖς πολλαὶ ἰδέαι πολέμων κατέστησαν* (cf. C. W. Kruegeri adnotationem ad hunc locum). Thuc. 3, 81, 5 *πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου.* 3, 83, 1 *πᾶσα ἰδέα κατέστη κακοτροπίας.* 3, 98, 3 *πᾶσά τε ἰδέα κατέστη τῆς φυγῆς καὶ τοῦ ὀλέθρου.* 3, 112, 7 *ἐς πᾶσαν ἰδέαν χωρήσαντες τῆς φυγῆς.* 7, 29, 5 *καὶ ἰδέα πᾶσα καθειστήκει ὀλέθρου.* 3, 62, 2 *τῇ . . αὐτῇ ἰδέᾳ*; cf. Isocr. Paneg. 7 *διὰ μιᾶς ἰδέας*; cf. etiam Themist. or. 34 p. 453, 3 Dindf. Videas locos a Stephano in thes. Graec. Ling. (Dindf.) collatos; Natorp, Platos Ideenlehre, p. 1; Eisler, Wörterbuch d. philos. Begriffe (Berol. 1904) sub *ἰδέα*.

1) Blass II 28.

2) Quotiens mutata sit significatio vocabuli, cf. Zelleri Philosophie der Griechen I^5 1, 3. Delegare liceat ad Iohannem Chrysostomum, apud quem vita monachica *φιλοσοφία* designatur, cf. II ad popul. Antioch. hom. 79. 189 sqq. aeque ac dogma Christianorum VIII in Io. hom. 63. 375 E; quapropter solus Christus in philosophiam inducere potest VII in Matth. hom. 19. 244 BC. Verus philosophus Paulus apostolus videtur XI in ep. ad Phil. hom. 3, 211 D, maior philosophus Petrus quam Plato X in act. apost. hom. 4. 39 A. Quin etiam primo homini in paradiso agriculturam praebuisse *πολλὴν φιλοσοφίαν* (!) affirmatur II ad pop. Antioch. hom. 19. 189 C. Cf. Elseri commentationem „d. hl. Chrysostomus u. d. Philos." Tueb. Theol. Quartalschr. 76 (1894) p. 550 sqq.

3) Sic iudicavit Callicles cf. Plat. Gorg. 484 C E.

οἱ ἐπὶ τῷ πράγματι διατρίβοντες φαῦλοί εἰσιν καὶ καταγέλαστοι. Quae verba dicere nequiit is, qui ipse suum ipsius studium *φιλοσοφίαν* [1]) nominavit et omnes, quos discipulos habebat philosophos reddere vel philosophos haberi voluit [2]). Contraria autem est illa *περὶ τοὺς λόγους φιλοσοφία* (Paneg. 10) eristicorum „philosophiae". Cf. Hel. 6, ubi *ἡ περὶ τὰς ἔριδας φιλοσοφία* interpretanda est non ex Isocratis, sed ex adversariorum mente, qui nomine hoc gloriati sunt [3]). Sed cum Hel. 6 de eristicis agatur, quorum studia perversa et indigna habet etiam aliis locis, Antid. 270 studia geometrica, astronomica, similia eiusmodi notata esse ex paragraphis, quae antecedunt, clare elucet. Quae studia quamquam prioribus annis contempserat — ac sane quidem c. soph. 8 *ἀδολεσχίαν καὶ μικρολογίαν* nominat studia eiusmodi — hic Antid. 261 sqq. pluris aestimanda esse censet: *ἡγοῦμαι γὰρ . . . οὐ βλάπτειν ἀλλ' ὠφελεῖν τοὺς συνόντας, ἐλάττω μὲν ὧν ὑπισχνοῦνται, πλείω δ' ὧν τοῖς ἄλλοις δοκοῦσιν.* Neque tamen philosophiae nomine digna habet haec studia (Antid. 266), sed *γυμνασίαν . . . τῆς ψυχῆς καὶ παρασκευὴν φιλοσοφίας* esse dicit. Addidicisse [4]) Isocratem inde ab a. 393 etiam Spengelius concessit p. 751. Delegare mihi liceat etiam ad Busirid.) 23, ubi I. Aegyptiorum inventiones laudans iuvenes illorum cogi, ut *ἀστρολογίᾳ καὶ λογισμοῖς καὶ γεωμετρίᾳ* operam darent, explicat haec verba addens: *ὧν* (sc. *ἀστρολογίας, λογισμῶν κτλ.*) *δυνάμεις οἱ μὲν πρὸς ἔνια χρησίμους ἐπαινοῦσιν, οἱ δ' ὡς πλεῖστα πρὸς ἀρετὴν ἀποφαίνειν ἐπιχειροῦσιν.* Atque mihi quidem a Platone annis interlapsis didicisse videtur etiam eloquentiae studiosum decere in his studiis versari.

Quod autem Anaxagorae, Empedoclis, aliorum contemplationes despexit, Socratis Xenophontei recordamur, qui similiter cogitavit. '*Ὅπως ὁ Σωκράτης παρὰ Ξενοφῶντι* (cf. Memor. IV 7, 2. 3. 4. 5. 7)

1) C. soph. 1. 11. Antid. 50 *περὶ μὲν οὖν τῆς ἐμῆς εἴτε βούλεσθε καλεῖν δυνάμεως εἴτε φιλοσοφίας εἴτε διατριβῆς.* Cf. Antid. 170. 270. Ep. VI 8.

2) C. soph. 21. Antid. 175. Panath. 260 amicus discipulus laudat Isocratis *ἀλήθειαν τῆς φιλοσοφίας.*

3) Nimirum prope accedit ad Antid. 270 *τὴν καλουμένην ὑπό τινων φιλοσοφίαν οὐκ εἶναι φημί* (cf. Antid. 285 *φιλοσοφεῖν φασι*; Ep. 9, 15 *προσποιούμενοι φιλοσοφεῖν*).

4) Convertit rem Alfredus Gercke praef. ad Sauppii Gorg. edit. p. 52 exponens Isocratem bonam de philosophia prioribus annis habitam opinionem postea deseruisse! Hoc pernego.

ἀπεδοκίμαζε τὰς περὶ φύσεως θεωρίας τοῦ Ἀναξαγόρου καὶ τὴν βαθεῖαν σπουδὴν τῆς γεωμετρίας καὶ ἀστρονομίας, οὕτως ἀπέτρεπεν ὁ Ἰσοκράτης τοὺς ἰδίους αὐτοῦ μαθητὰς τῶν αὐτῶν τούτων ὡς ἀχρήστων πρὸς τὰς πράξεις' sic recte iudicat Cyprianus p. 14 sq. libelli sui, '*τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους*' inscripti [1]). Quod si intellexerimus, non temere Duemmlerum sequemur, qui (Kl. Schr. I 86 sq.) Isocratem Antid. 268 sq. etiam Platonis Rempublicam *τερατολογίαν* habuisse affirmavit. Nimirum ut taceam id quod illo loco nomina eorum, qui in talibus contemplationibus tempus consumunt, afferuntur [2]), quorum in numero nomen Platonis deest, absonum puto hic de Platone cogitare, ubi philosophorum, qui ante Socratem mundum et res explicare studebant, mentio fit. Deinde ne omittamus Isocratem, quamquam abhorreat ab illis studiis, tamen ea exercitationem vel praeparationem quandam animi ad meliora potioraque studia habere cf. 265: *ἐν τούτοις γυμνασθέντες καὶ παροξυνθέντες ῥᾷον καὶ θᾶττον τὰ σπουδαιότερα καὶ πλείονος ἄξια τῶν πραγμάτων ἀποδέχεσθαι καὶ μανθάνειν δύνανται* [3]). Quapropter adulescentibus, ut *χρόνον τινὰ* in his studiis versentur, suadet 268. *Φιλοσοφία τις*, quemadmodum in Phaedri fine, etiam postea philosophia Isocratis a Platone dici poterat. Nisi forte quis per irrisionem vel dissimulationem illa verba a Platone dicta esse affirmat, id quod Geelius (de Stesichori palinodia [Rh. Mus. 6 (1839)] p. 9—11) affirmavit. Quam interpretationem etiam Spengelius absonam declaravit p. 769: „Die Worte *φύσει γὰρ* enthalten keine Hypothese und sind, wenn irgend etwas, ernstlich gemeint. Der alte Sokrates hätte sie von dem jungen Isokrates nicht ausgesagt, wenn nicht Plato, als er dieses schrieb, von der Wahrheit dieser Aussage durchdrungen gewesen wäre.“ Spengelius autem, cum Platonem habere oportuisse, cur *φιλοσοφίαν τινὰ* inesse Isocratis studiis dicere potuerit, concessit, suam ipsius sententiam labefactavit. Vaticinium illud Socratis senis de Isocrate factum iam hac de causa intelligendum est ex eventu [4]), quod Plato scripsit de seniore

1) Athenis 1871. Quales fuerint necessitudines inter Isocratem et Socratem, optime intelligi potest ex Schroederi quaestion. Isocrat. duab. (Trajecti ad Rh. 1859 p. 1—41.)

2) Empedocles, Ion, Alcmaeon, Parmenides, Melissus, Gorgias.

3) Cf. Xenoph. Mem. IV 7, 2—8.

4) Ex eventu intelligi oportere etiam vaticinia Plat. Prot. 361 E, Parmenid. 130 E, Hirzelius in scholis suis nos docuit.

(cf. Ciceron. Orat. 41) et servavit posterioribus. De simultate autem quadam inter Isocratem et Platonem cogitari nequire, ex quaestione nostra de Euthydemi loco habita satis, ut spero, apparuit. Plato Isocratem in Euthydemo non impugnavit.

Atque etiam aliis rebus docemur Platonem artiore vinculo cum Isocrate coniunctum fuisse quam Spengelius et alii voluerunt. Nimirum, ut exemplum afferam, quantopere obstat testimonium Diog. L. III 8 [1]) sententiis recentiorum vvdd., qui non amicitiam, sed inimicitiam intercessisse Isocrati cum Platone iterum iterumque affirmant. Quare nunc quaeratur:

II. Num Isocrates Platonis laude (Phaedr. 278E sqq.) atque amicitia (Diog. L. III 8) indignus fuerit.

Atque iam vidimus in universum Isocratem non tantum adversarium fuisse philosophiae, quantum anonymus illius loci Euthydemi. Exstiterunt autem, qui affirmarent Isocratem in orationibus suis tam saepe Platonem ipsum carpsisse, ut neque laude neque amicitia Platonis dignus esse potuerit. Qua de Isocratis ratione adversarios impugnandi, quorum in numero Spengelius et qui eum secuti sunt Platonem habere voluerunt, pauca nobis disserenda esse censeo. Nimirum cum illi inter Isocratis adversarios Platonem quaerant, mihi id, quod Isocratis adversarii etiam Platonis fuerunt, maximi momenti esse videtur.

a) Isocrates et Plato habebant communes adversarios.

Atque primum communes Isocratis et Platonis adversarii sophistae intelligendi sunt. Quam ob rem eae orationes imprimis idoneae esse videntur, quae Isocratem adversarios impugnantem nobis ostendant atque optimam praebeant imaginem operae et studii, puto: orationes *κατὰ τῶν σοφιστῶν* (13), *Ἑλένη* (10), *Βούσιρις* (11).

Atque exordiamur ab oratione contra [2]) sophistas habita, ut videamus, quemadmodum in ea adversarios cavillatus sit.

Qua in oratione, quae paulo post orationes iudiciales scripta inter vetustissimas habenda est, I. tres adversarios impugnat:

1) *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος* (Plato) *καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν.*

2) I. a sophistis, ex quibus ortus erat, decessit; cf. Antid. 148. Dionys. Hal. de Isocr. c. 1.

atque primum § 1—8 eos, qui in controversiis versentur (*τῶν περὶ τὰς ἔριδας διατριβόντων* [§ 1]), deinde § 9—18 eos, qui orationes publicas docere pollicentur, tum eos, qui artes rhetoricas, quae *τέχναι* nominantur, scripserunt. Quorum e numero quamquam Plato eximitur, tamen non deerant, qui Isocratem maligne de eristicis iudicantem Platonem spectavisse censerent. Atque Spengelius de schola Megarensi, imprimis de Euclide, cogitandum esse putavit, nimirum de viris in mentis et animi culturam summo studio incumbentibus[1]) hac oratione agi. Quam si diligentius legerimus, Spengelii sententiam vix comprobabimus. Isocrates enim eristicos vituperat, quos odit; nam cum verum explorare simularent, mentiri eos (§ 1) pollicitos se beatos reddituros esse discipulos (§ 3) atque id solutis tribus vel quattuor minis, cf. § 4 *σύμπασαν . . ἀρετὴν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν οὕτως ὀλίγου τιμῶντες.* Deinde quamquam contemptim dicerent de divitiis, auri, argenti eos cupidos esse, quin etiam, etsi iustitiam se docere simularent, ne discipulis quidem fidem habere de pecunia laborantes (§ 5). Recte igitur miratur Eduardus Meyer (G. d. A. V p. 332), quod de Platone cogitaverint recentiores atque assentior Gustavo Schneider, qui annal. Burs. vol. 23 in recensione Susemihli 'de Plat. Phaedro et Isocr. c. soph. oratione' haec exposuit: „Der ganze Angriff des Is. erhält seine Schärfe namentlich durch die Betonung des Widerspruches, in welchen die Gemeinten durch ihr Haschen nach Honorar und das, was damit zusammenhängt, mit ihren Verheissungen geraten. In dieser Beziehung muss der Eindruck der Rede auf Platon ein günstiger gewesen sein". Atque profecto hac in re dixerunt complures contra Spengelium, qui post Isocratis contra sophistas orationem Platonem iniquius iudicare debuisse voluit quam in Phaedri fine. Nimirum etiam Bergkius intellexit Isocratem hac oratione similiter atque Platonem sophistas ut communes adversarios cavillatum esse. Cf. p. 31 l. c.: „Plato glaubte in ihm einen Bundesgenossen im Kampfe gegen die Sophistik zu finden". Atque Blassius II 23 eristicos hac oratione impugnatos esse velut fratres Euthydemum et Dionysodorum exponens haec addit: „denn von Plato und den Sokratikern ist hier noch keineswegs die Rede".

1) Spengel l. c. p. 747: „Männer, denen es mit der Lehre der sittlichen und wissenschaftlichen Bildung des Menschen Ernst (!) war."

Mihi autem eristici in hac Isocratis oratione eodem modo atque in Platonis Euthydemo carpi videntur. Nam quod virtutem celerrime se docere posse simulant, vituperantur p. 273 D, ubi vox '*παραδοῦναι*' eodem sensu adhibita est atque Isocr. c. soph. 5[1]). Deinde cum dissimulatione illa, qua Socrates utebatur, Euthydemus et Dionysodorus beati praedicantur propter hanc artem 274 A *μακαρίζω ἄρ' ὑμᾶς ἔγωγε τοῦ κτήματος πολὺ μᾶλλον ἢ μέγαν βασιλέα τῆς ἀρχῆς!* Cf. etiam 293 A, ubi Socrates interrogat non sine ioco: *τίς ποτ' ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη ἧς τυχόντες ἂν καλῶς τὸν ἐπίλοιπον βίον διέλθοιμεν;* Neque solum eos quam celerrime virtutem docere commemoratur (p. 303 E), sed etiam indolem aetatemque discipulorum eos negligentes omnes, qui mercedem solvant, erudire (304 C *οἵω τε εἶναι διδάξαι τὸν ἐθέλοντ' ἀργύριον διδόναι*). Conferamus deinde Plat. Gorg. 519 C cum Is. c. soph. 5 sq. Gorg. 519 C: *φάσκοντες* (sc. sophistae) *γὰρ ἀρετῆς διδάσκαλοι εἶναι πολλάκις κατηγοροῦσιν τῶν μαθητῶν ὡς ἀδικοῦσι σφᾶς, τοὺς δὲ μισθοὺς ἀποστεροῦντες καὶ ἄλλην χάριν οὐκ ἀποδιδόντες, εὖ παθόντες ὑπ' αὐτῶν.* Pariter Is. c. soph. 5: *πάντων καταγελαστότατον, ὅτι παρὰ μὲν ὧν δεῖ λαβεῖν αὐτοὺς τούτοις ἀπιστοῦσιν, οἷς μέλλουσιν τὴν δικαιοσύνην παραδώσειν.* 6: *τοὺς δὲ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σωφροσύνην ἐνεργαζομένους πῶς οὐκ ἄλογόν ἐστι μὴ τοῖς μαθηταῖς μάλιστα πιστεύειν;* Sophistae igitur hic et illic eodem modo impugnantur. Neque minus memorabilis est ille locus Isocratis c. soph. 3 sq., ubi I. sophistis virtutem tribus vel quattuor minis venditantibus adversatur his verbis: *ἀλλ' εἰ μέν τι τῶν ἄλλων κτημάτων πολλοστοῦ μέρους τῆς ἀξίας ἐπώλουν, οὐκ ἂν ἠμφισβήτησαν ὡς εὖ φρονοῦντες τυγχάνουσι κτλ.*[2]). Neque aliter Plato Apol. 20 D, qui deridet Euenum Parium virtutem quinque minis docentem. Etiam ad Xenophontis Cynegetici c. 13 delegaverim. Et Platonem et Xenophontem et Isocratem eodem modo aegre tulisse illam rem in aperto est.

Hae omnes res temporum determinandorum facultatem non praebent. Demonstrant autem Isocratem sophistas impugnantem nullo modo valde recessisse a Platonis ratione.

1) C. Urban, Progr. Wilhelmsgymn. Koenigsberg 1882 p. 8 sqq., qui Platonem in Euthydemo et Isocratem hoc loco eundem virum notare putat. Cogitat de Antisthene.

2) E. Richter (Jbb. f. Phil. 1893 p. 146 sq.) ex eo, quod apud Xenophontem Memorab. I 6 simile aliquid invenitur, coniecturam de temporis conscriptionis fecit. Quod falsum puto.

Alia quaestio est, num Antisthenes inter Isocratis adversarios hac oratione impugnatos habendus sit. Atque cum Ed. Meyer V p. 332 et Blassius II 23 (adnotat.) propter vituperationem avaritiae (§ 3 sq.) Antisthenem non carptum esse affirmarent, Teichmuellerus[1]) et Duemmlerus de eo cogitaverunt. Locos Isocratis c. soph. 4 similiter atque Plat. Euthyd. p. 289 B ad Antisthenem referendos esse Duemmlerus I 130 testimonio Diog. L. VI 5 nixus censuit. Id quod tamen argumentis non satis certis confirmat.

Nequaquam autem Platonis fit mentio hac oratione neque Spengelio concesserim Platonem post hanc orationem Isocrati inimicum fieri oportuisse (cf. supra p. 26). Quod autem ad illos, qui Isocratem hac oratione virtutem doceri posse negantem Platonis vel Socratis principem sententiam illusisse affirmabant[2]), delegaverim illos ad locos, quos antea attuli (Euthyd. 273 D, 274 A, 293 A, 303 E, 304 C, Gorg. 519 C). Nimirum hic et illic illudit Plato aeque atque Isocrates illam *ἐπιστήμην* alios beatos faciendi. Dixerit autem quispiam me omisisse locum huius orationis, qui Isocratem doceri posse virtutem prorsus negavisse demonstret, nimirum § 21: *καὶ μηδεὶς οἰέσθω με λέγειν, ὡς ἔστι δικαιοσύνη διδακτόν.* Perlegenti autem manifestum fiet illud iudicium statim moderari eum verbis, quae sequuntur, dicentem nullam exstare artem, quae homines malae naturae[3]) (*τοῖς κακῶς πεφυκόσι*) aut honestos aut prudentes aut iustos reddat. (Cf. postea Antid. 185.) Atque ex § 14 elucet magnopere interfuisse Isocratis demonstrare eruditione ipsa numquam fieri bonum oratorem, quapropter adversarios vituperat, qui *ταύτης τῆς δυνάμεως οὔτε ταῖς ἐμπειρίαις οὔτε τῇ φύσει τῇ τοῦ μαθητοῦ μεταδιδόασιν*

1) I 84 de Antisthene cogitari vult, quia Is. dicat sophistas docere virtutem et beatitudinem. Affert Diog. L. VI 10 *διδακτὴν ἀπεδείκνυε τὴν ἀρετήν.*

2) Gercke, Hermes 32, 365 sqq. Usener, Rh. Mus. 35 (1880) p. 137: „Is. hatte zwar nur Antisthenes angegriffen, aber indem er sich über die Lehrbarkeit der Tugend und des glücklichen Lebens lustig machte, gleichsehr allen Sokratikern den Fehdehandschuh hingeworfen.“ Similiter Gust. Schneider l. c. p. 13.

3) Ac sane Platonis Rempublicam consideranti certum fit paucis tantummodo ex sententia illius aditum patere ad summum philosophiae et virtutis gradum, quibus benigna etiam natura fuisset.

(§ 10). Quo factum esse, ut qui numquam sophistis usi sint, longius sint progressi quam discipuli eorum (§ 14). Atque primum indolis rationem esse habendam, deinde scientiam et exercitationem accedere debere[1]). Qua in ratione Platonem et Isocratem inter se consentire iam pridem a viris doctis cognitum est[2]). Sed falsum puto quaerere, utrum hic Plato ab Isocrate pendeat necne. Id enim semper tenendum est hic nequaquam de ratione vel praecepto agi, quod unus ab altero sumpsit, sed tantum id statuere possumus hic Isocratem eodem modo iudicavisse atque Platonem, cf. Is. c. soph. 14, 17 cum Plat. Phaedr. p. 269 D. Pariter enim postulant ambo, ut orator futurus genera cognoscat orationis (c. soph. 17, Phaedr. 271 D), deinde ut in dispositione operam navet singulasque partes recte coniungat pro temporis condicionibus e. q. s. (c. soph. 16, Phaedr. 272 A)[3]).

Quare mihi persuasi Isocratem hac oratione eristicos vituperantem, quod scientiam virtutis docendae habere vellent, eosdem notare atque Platonem in Euthydemi locis allatis. Deinde etiam Natorpium testor, qui commentatione sua (Herm. 35, 390 sqq.) Platonem in Socratis apologia Socratem contemptim facere dicentem de iis, qui se scientiam virtutis habere eamque alios docere simulent, demonstravit. Sophistarum esse illam vanam artem dicit Socrates Apol. 19 E (ubi Gorgias, Prodicus, Hippias Eleus nominantur) neque ipsius, ut adversarii affirmaverint. Cf. 20 E *ἔγωγ' οὖν καὶ αὐτὸς ... ἡβρυνόμην ἄν, εἰ ἠπιστάμην ταῦτα, ἀλλ' οὐ γὰρ ἐπίσταμαι.* Atque etiam ad Protagoram dialogum delegat, nimirum etiam hic Protagoras et ceteri sophistae, quod se alios virtutem docere posse affirmant, illuduntur. Cf. Socratis verba Protag. 319 A *ἆρα ... ἕπομαί σου τῷ λόγῳ; δοκεῖς γάρ μοι λέγειν τὴν πολιτικὴν τέχνην καὶ ὑπισχνεῖσθαι ποιεῖν ἄνδρας ἀγαθοὺς πολίτας ... ἦ καλὸν ... τέχνημα ἄρα κέκτησαι, εἴπερ κέκτησαι ... ἐγὼ γὰρ τοῦτο, ὦ Π., οὐκ ᾤμην διδακτὸν εἶναι κτλ.*, cf. imprimis p. 320 A B. Itaque etiam in ea re Natorpi sententiam sequor, quod recte edocuit Platonem inde a Menone dialogo virtutem doceri posse affirmavisse non ut sophistae voluerint (Men. 93 B, Conviv. 175 D), sed alio omnino

1) Antid. 187, 189.
2) Cf. supra p. 12 adnot. 1.
3) Cf. postea Antid. 186 sqq. Bergk. l. c. p. 33.

modo: nam doceri posse illam scientiam exposuisse Platonem propterea, quod in discendo recordatio quaedam fiat (quam Plato *ἀνάμνησιν* dicit) cognitionis, quam in vita ante hanc vitam acta habuerimus. Si haec argumenta Natorpi addiderimus nostris causis supra allatis Usenero l. c. p. 137 non assentiemur. Intelleximus enim Isocratem sophistas (qui in hac oratione eristici vocantur) carpentem Platonis adversarios impugnavisse acerbissimos, quod odium artiore eum iunxit vinculo cum Platone. Accedit, quod etiam aliis de causis Isocrates, cum hanc orationem scripsisset, Platonis amicitia dignus factus sit [1].

Quapropter, etsi falsum puto de tempore conscriptionis librorum et Platonis et Isocratis ex hac re coniecturas [2] facere, tamen Platonem post Isocratis orationem contra sophistas scriptam eodem modo iudicare potuisse censeo atque in Phaedro: *ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.* Quibus expositis quid de Helena et Busiride orationibus 10 et 11 Isocratis iudicandum sit disseramus. Perperam enim Isocrati crimini dederunt viri docti, quod his orationibus in sophistarum laudationum morem scriptis sophistam se ipsum praestaret. Ne tamen titulis decipiamur [3]! Nimirum in his orationibus Isocrates aeque atque in oratione 13 omnia sua tela contra sophistas conicit, quorum propositis opponit orationes meliores magisque consilio accomodatas, sed eiusdem tituli. Atque cum in Helena taceat nomen [4] sophistae, quem, quod quamquam ille se *ἐγκώμιον Ἑλένης* scripsisse dicat, tamen revera *ἀπολογίαν* composuerit, vituperat (§ 14), oratione 11 ad Polycratis [5] sophistae orationem *'Βουσίριδος ἀπολογία'* inscriptam respondet. Isocrates igitur hic et illic sophistis adversatur.

1) Isocratem hac oratione sophistarum praeceptis rhetoricis renuntiavisse eximie disseruit Munkius, Natürl. Ordnung d. Plat. Schriften p. 230; cf. etiam Waberi l. c. Pr. Kremsier 1886 p. 22.

2) Velut Duemmlerus I 129.

3) Velut veteres, cf. finem hypoth. Bus., ubi Busiris *ἐγκώμιον* nominatur.

4) Num de Gorgia cogitari possit, quaestio est, de qua iam veteres dissidebant, cf. hypoth. Hel.

5) Ille P., qui etiam Socratis *κατηγορίαν* scripserat, quam revera *ἀπολογίαν* fuisse I. tradit Bus. 5 *Σωκράτους κατηγορεῖν ἐπιχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος Ἀλκιβιάδην ἔδωκας μαθητήν.* Idem P. etiam apud Xenophontem Memor. I 2, 12 intelligendus est. Cf. Cobeti nov. lect. p. 661 sqq. (Hirzel, Dialog I 142 sq.)

Correxit autem I. scripta illorum sophistarum non vituperando, sed eo modo, quo etiam Plato adversarios meliora edocens usus est. Cf. Isocr. Hel. 15: *ἵνα δὲ μὴ δοκῶ το ῥᾷστον ποιεῖν, ἐπιτιμᾶν τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἐπιδεικνὺς τῶν ἐμαυτοῦ, πειράσομαι περὶ τῆς αὐτῆς ταύτης εἰπεῖν.* Bus. 9: *ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ προχειρότατον ποιεῖν, ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν εἰρημένων, πειράσομαί σοι διὰ βραχέων δηλῶσαι περὶ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν.* Quod genus corrigendi etiam Platonis fuit, qui id exempli causa in Phaedro usurpavit; nimirum Lysiae *λόγον ἐρωτικὸν* vituperavit, cum de eadem re orationem (vel potius duas orationes) Socratem habentem fecit, quibus Phaedrum ad aliam sententiam convertat. Quae ratio communis est Isocrati cum Platone [1]. Accedit quod hic et illic frigidum videtur propositum censuram scribentibus. Quae res non sine momento est ad Isocratem recte iudicandum. Neque praetermittam delegare ad Isocratis Bus. 9, ex quo loco elucet

1) Neque omittam etiam Isocratis modum erudiendi hac in re comparari posse cum Platonis disciplinae modo. Nam tantum aberat, ut Isocrates discipulos tantummodo *τέχνην* doceret, qua usi optimi fierent rhetores, ut cum discipulis tamquam amicis collocutus de institutionis quaestionibus disputaret. Id quod ex compluribus locis intelligas. Nimirum Antid. 142 sqq. discipulum loquentem introducit, qui 142—49 Isocrati suadet, quomodo contra accusatores se defendere oporteat vituperatque, quod vitam suam ipsius multo potiorem descripserit quam vitam adversariorum. Is. igitur discipulis suis — etiam vituperandi causa — facultatem praebuit secum colloquendi. Et colloquia eiusmodi etiam Phil. 17 sqq. et Panath. 200 sqq. invenimus (Hirzel, Dialog I 343). Phil. 17 enim Is. narrat aliquos ex discipulis suis se, ne Philippo mitteret orationem, impedire conatos esse. Postea autem *οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἐπιτελεσθέντος τοῦ λόγου καὶ δειχθέντος αὐτοῖς* ita esse a consilio revocatos *ὥστ' ᾐσχύνοντο . . ., μετέμελε δ' αὐτοῖς ἁπάντων τῶν εἰρημένων.* Similiter ex Panath. 200 sqq. satis elucet Isocratem de libello suo disputavisse cum tribus vel quattuor discipulis atque arcessivisse *τινὰ τῶν . . . πεπλησιακότων*, nimirum Lacedaemonium, ut videtur. Quem sermonem paene formam dialogi virtutes et Lacedaemoniorum et Atheniensium perpendentis capere coepisse Hirzelius l. c. optimo iure adnotavit (cf. § 246 sq., ubi I. dialogi formam neglectam effinxit); cf. etiam Wilamowitzii Griech. Lit. d. Alt. p. 68. Obiter etiam illius loci Panath. 229 sq. commonefecerim, ubi discipulum illum duplici modo meliorem factum (230) abisse non sine fiducia sui I. profitetur *φρονιμώτερος γενόμενος . . . καὶ πεπονθὼς τὸ γεγραμμένον ἐν Δελφοῖς, αὑτόν τ' ἐγνωκὼς καὶ τὴν Λακεδαιμονίων φύσιν μᾶλλον ἢ πρότερον.* Quem locum Socraticam redolere disciplinam iam alii intellexerunt, cf. Blassii l. c. II 45.

Isocrati propositum non dignum esse visum: πειράσομαι … δηλῶσαι περὶ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, καίπερ οὐ σπουδαίαν οὐδὲ σεμνοὺς λόγους ἔχουσαν. Quam parvi aestimet rem, § 33 dicit concedens: εἰ καὶ τυγχάνομεν ἀμφότεροι ψευδῆ λέγοντες [1]. Imprimis autem § 44 nos docet, quid ipse sentiat de hac oratione: οὐ γὰρ ἐπίδειξιν τοῖς ἄλλοις ποιούμενος (cf. ad hoc etiam § 2 πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους ὡς οἷόν τε μάλιστ' ἀποκρύψασθαι ἀλλ' ὑποδεῖξαί σοι βουλόμενος, ὡς χρὴ κτλ.) Quibus verbis nixi recte iudicare possumus de Isocratis oratione, quae mira videri possit. Neque tamen mirabilia scripsit ut sophistae, sed reiecit atque illusit, cf. Hel. 12, ubi eos, qui apes, salem, similia eiusmodi laudaverint, deridet [2]. Quibus de mirabilibus artificiis sophistarum etiam Platonem Conviv. 177 B cogitare manifestum est: ἔγωγε ἤδη τινὶ ἐνέτυχον (loquitur Phaedrus) βιβλίῳ ἀνδρὸς σοφοῦ, ἐν ᾧ ἐνῆσαν ἅλες ἔπαινον θαυμάσιον ἔχοντες πρὸς ὠφέλειαν καὶ ἄλλα συχνὰ ἴδοις ἂν ἐγκεκωμιασμένα.

Haec praemittenda esse putavi. Nam offendisse putaverunt vvdd. Platonem similiter atque in oratione contra sophistas etiam in Helena et Busiride, quas orationes cavillationum Platonis plenas esse iterum iterumque affirmabant. Num in Busiride offendere potuerit Plato (quod exempli causa explicuit Duemmlerus I 124), hoc loco non inquiremus. Immo vero infra in exponendis sententiis de republica habitis illustrandum erit, quae sit necessitudo inter Isocratis Busiridem et Platonis Rempublicam. Hic de ratione, qua in Helena in adversarios invehitur, agamus.

Cuiusmodi reprehensiones tantummodo in prooemio exstant, de quo permulta iam scripserunt vvdd. Quinam igitur sunt, in quos § 1 sqq. invehitur? In universum omnes, qui gloriantur in inveniendis et componendis propositis absurdis mirabilibusque (§ 1 init.). Quos dividit Is. in: a) οἱ μέν, b) οἱ δέ, c) ἄλλοι δέ.

1) § 49 queritur quod propter talia mirabilia aspergatur φιλοσοφία!

2) Quare de Polycrate cogitare nobis licet. Scripsit enim laudationem Clytaemestrae (Quintil. II 17, 4), murum (Aristotel. Rhet. II 24 p. 116 Sp., canum p. 115). Etiam ἐγκώμιον χύτρων καὶ ψήφων traditur (Alex. π. ῥητορ. ἀφορμ. III 3 Sp.). Utrum etiam auctor fuit laudationis mendicorum et exulantium (Isocr. Hel. 8, Aristotel. Rhet. II 24 p. 116 Sp.) an non? Cf. etiam Blassii l. c. II 370 sq.

a) οἱ μὲν [1]) οὐ φάσκοντες οἷόν τε εἶναι ψευδῆ λέγειν οὐδ' ἀντιλέγειν οὐδὲ δύω λόγω περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἀντειπεῖν.

His verbis Isocratem sophistas, Platonis et Isocratis inimicos, aggredi neque Platonem, quid est clarius? [2]) Sed Antisthenem [3]) notari verisimile est (cf. Spengelii [4]) l. c. p. 755; Bergkii p. 34 sq.; Ed. Meyeri V p. 332), in quem § 8 sine dubio invehitur. Et Antistheni Plato adversatus est. Neque praetermittam etiam Platonem simili modo atque Isocratem illudere iis, qui mentiri posse negarent. Id Euthydemi fuit: cf. Plat. Euthyd. p. 283 E τί δέ, ἔφη Εὐθύδημος, ἦ δοκεῖ σοι οἷόν τε εἶναι ψεύδεσθαι; cf. etiam p. 285 E, ubi Dionysodorus notionem contra dicendi esse posse negat. Nonne etiam Plato his locis de Antisthene cogitavit? Antisthenem autem dialogo Σάθων περὶ τοῦ ἀντιλέγειν inscripto Platonem cavillatum esse confirmatur Diog. L. III 35; Athen. V 220 D, XI 507 A (cf. Duemmleri Antisthenic. p. 62, Academic. p. 202, 209). Atque idem Antisthenes etiam Isocratis inimicus fuit. Scripsit enim contra Isocratis ἀμάρτυρον λόγον (Diog. L. VI 15), quam simultatem significat Isocrates ipse Paneg. 188 (cf. Ed. Meyeri l. c. V p. 349).

Denique confirmari potest nostra opinio verbis, quae infra § 2 Helenae sequuntur: νῦν δὲ τίς ἐστιν οὕτως ὀψιμαθής, ὅστις οὐκ οἶδε Πρωταγόραν κτλ. Protagoras autem iam affirmaverat hominem omnium rerum mensuram esse, qua ratione dicere voluit id verum esse, quod cuique verum videretur. Quae ratio etiam Antisthenis erat. Atque profecto vituperat Isocrates § 2 sq., quod illorum veterum sophistarum (Protagorae, aliorum) praecepta et sententias recentiores sequantur [5]): ἔτι περὶ τὸν τόπον τοῦτον διατρίβουσιν,

1) Ante οἱ μὲν invenies καταγεγηράκασι. Antisthenes fuit maior natu quam Isocrates et Plato (similiter Plato Soph. 251 B τῶν γερόντων τοῖς ὀψιμαθέσιν de Antisthene). Natorp, Pauly-Wissowa s. v. Ant.

2) Iam C. Fr. Hermannus, Platon. Philos. p. 568 de Platone non esse cogitandum adnotavit. Isocratis Helenam vix post Ol. 96 scriptam esse, quo tempore Plato vix in talibus rebus tractandis versatus sit.

3) De quo cf. Aristotel. Metaph. V 23 p. 1024 B 33.

4) Quem sequitur Waber, Progr. Kremsier 1886 p. 26.

5) Ac sane quidem sequitur Antisthenes Protagoram in rerum cognitionis ratione, cf. Diog. L. IX 53; Plat. Euthyd. 286 C. (Natorp, Pauly-Wissowa sub v. A.).

nimirum Protagorae, Gorgiae[1]), Zenonis, Melissi. In numero illorum recentiorum etiam Antisthenes habendus est. Quare Antisthenem et Platonis et Isocratis adversarium censere debemus[2]). Accedunt ad nostra argumenta variae memoriae, fabellae e. q. s. Sed haec obiter. Revertamur ad illos alios adversarios, quibuscum pugnat in Helena Isocrates!

b) *οἱ δὲ διεξιόντες ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι, καὶ φύσει μὲν οὐδὲν αὐτῶν ἔχομεν, μία δ' ἐπιστήμη καθ' ἁπάντων ἐστίν.*

De Socraticorum aliquo genere haec dicta esse non negaverim. Atque cum Ueberwegius (Philol. 27, 178) de Antisthene, Bergkius l. c. p. 34 sq. de Aeschine Socratico hic cogitent, Spengelius l. c. p. 756 et Blassius II 34 Platonem his verbis carptum esse affirmaverunt; quippe qui in Protagora omnes virtutes in unam eandemque vim coire exposuisset. Neque Platonis tantum sententia fuit, sed omnino omnium Socraticorum. Quod recte intellexit Ed. Meyer l. c. V p. 332: „Plato ist natürlich unter diese Leute mit eingeschlossen, aber dass J. ihn speziell im Auge gehabt habe, ist in der Helena nirgends nachweisbar. Alle anderen Deutungen scheinen mir verfehlt“[3]). Ego quidem de Megaricis cogitaverim, qui Socraticam rationem cum Eleatarum praeceptis coniunxerunt[4]) unitatem rerum in summo bono positam esse affirmantes. Accedit, quod infra[5]) legimus nomina Zenonis et Melissi, qui erant ab Eleatarum disciplina et una cum Parmenide multitudinem et motum rerum negabant. Quod hos priores etiam superare studeant recentiores miratur Isocrates § 3 sq. Quos recentiores Megaricos esse puto. Et si statuimus de Megaricis sermonem esse, hic quoque deprehendimus Platonem cum Isocrate aliquatenus consentientem: nam cum Megaricis quamquam Platoni amicitia quaedam intercessit, a doctrina tamen eorum eum alienum fuisse notum est.

1) Hel. 3 ne Gorgias quidem, magister Isocratis, eximitur: simultas quaedam etiam ex hypoth. Hel. elucet, cf. etiam Antid. 268 sq. Antisthenem a Gorgia non parva didicisse demonstrat Duemmlerus Acad. 193 sqq.

2) Natorp Platos Ideenlehre p. 91, 117.

3) Thiele in Hermae 36, 260: „vor allen Dingen ist jede, auch nur die geringste, Beziehung auf Platon abzuweisen.“

4) Euclidem, Megaricorum scholae conditorem, Parmenidis librorum imprimis studiosum fuisse tradit Diog. L. II 106.

5) Hel. § 3.

Restant c) *ἄλλοι δὲ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβουσι τὰς οὐδὲν μὲν ὠφελούσας, πράγματα δὲ παρέχειν τοῖς πλησιάζουσι δυναμένας.*

Quos eosdem esse atque in oratione 13 impugnatos quid est clarius? Neque de Platone cogitari licet, (velut Duemml. Acad. p. 54) nimirum ipsa § 6 prohibemur: *ἀλλὰ γὰρ οὐδενὸς αὐτοῖς ἄλλον μέλει πλὴν τοῦ χρηματίζεσθαι*[1]) *παρὰ τῶν νεωτέρων. ἔστι δ' ἡ περὶ τὰς ἔριδας φιλοσοφία δυναμένη τοῦτο ποιεῖν. οἱ γὰρ μήτε τῶν ἰδίων πω μήτε τῶν κοινῶν φροντίζοντες τούτοις μάλιστα χαίρουσι τῶν λόγων, οἳ μηδὲ πρὸς ἓν χρήσιμοι τυγχάνουσιν ὄντες.* Sunt igitur tales, quales in Isocratis c. soph. oratione, in Platonis Euthydemo, in Xenophontis Cynegetici cap. 13 perstringi vidimus.

Sed haec hactenus. Neque omittam iudicium Georgii Thiele (Hermes 36, 254) afferre, quod comprobo: „was die ‚Helene‘ betrifft, so halte ich mich auch für berechtigt, die Frage aufzuwerfen, ob die ‚Helene‘ nicht wenigstens in die Gruppe der Schriften gehört, auf Grund welcher ihm Plato das Zeugnis eines ‚philosophischen Kopfes‘ nicht versagen wollte.“ Sic in Helena Isocratis non Platonem carptum invenimus (ut recentiores vvdd. voluerunt), sed illos perstrictos, qui etiam Platonis adversarii fuerunt acerbissimi, sophistas. Atque cum confligerent cum sophistis ut adversariis communibus Platonem et Isocratem artiore quodam vinculo inter se iunctos esse, non improbabile est.

Quae res mihi praecipui momenti est visa de alio adversario cogitanti, quem communem[2]) habebant, de Lysia. Cui Platonem vehementissime adversatum esse ex Phaedro dialogo evidenter elucet. Lysiae autem cum Isocrate simultatem intercessisse facile intelligitur. Atque primum in oratione 21 *πρὸς Εὐθύνουν*

1) Quod verbum Duemmlerus — quia in eristicis Platonem quaesivit — in verbum *μακαρίζεσθαι* sive *σχηματίζεσθαι* mutandum esse coniecit: Acad. p. 54. Cf. autem, quae G. Thiele in Hermae 36, 261 adnotavit: „so fascinierend hatte die einst von Spengel hingeworfene Vermutung gewirkt.“

2) Etiam Antisthenem communem fuisse adversarium iam supra obiter commemoratum est, quam ad partem libelli mei delegare liceat. Adde quod de Zoilo tradunt veteres: Suid. *ἔγραψε κατ' Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος.* Cf. etiam Ael. V. H. XI 10: *Ζ.. ὁ καὶ ἐς Ὅμηρον γράψας καὶ ἐς Πλάτωνα.* Cf. Dionys. Hal. ad Cn. Pomp. p. 757 R. Sic etiam Zoilus communis fuit adversarius; cf. Blassii l. c. sub Zoilo.

ἀμάρτυρος inscripta Isocrates — Lysiae adversarius — defendit eum, quem Lysias accusaverat. Confirmatur id testimonio Diog. L. VI 15, qui titulum affert orationis Antisthenis *περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον*. Antisthenes igitur, cum contra Isocratis *ἀμάρτυρον* scripsit, pro Lysia [1]) stetit, qui Isocratis adversarius ipso iam titulo (*ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης*) significatur.

Deinde etiam in alia causa Isocratem et Lysiam in contrarias disseruisse partes audimus. Nimirum in oratione 16 *περὶ τοῦ ζεύγους* inscripta Isocrates Alcibiadem laudibus extulit, quem Lysias obtrectationibus calumniisque perstrinxerat [2]). Atque Isocratem in oratione sua saepius Lysiam impugnare apparet ex §§ 10, 11 *τοσοῦτον δὲ τοῖς ἐχθροῖς τῆς ὕβρεως περίεστιν, ὥσθ' οὕτως ἀνόμως τοῦ πατρὸς* [3]) *ἐκπεσόντος ὡς δεινὰ δεδρακότος αὐτοῦ κατηγοροῦσι . . . λέγοντες ὡς οὐδὲν διέφερε τῶν ἄλλων* [4]), *νυνὶ δ' ἁπάντων αὐτὸν τῶν γεγενημένων αἰτιῶνται . . .* Quibus verbis Lysiam esse notatum demonstratur Lysiae ipsius orationis § 37, ubi fere iisdem verbis Lysias eloquitur, quod I. §§ 10, 11 tamquam absurdum repellit. Huc accedit, quod I. § 2 crimini adversariis dat, quod Alcibiadem filium poenas patris erroris exsolvere voluerint, Lysias tota in oratione filium patris delictum expiare fas esse demonstrare studet. Atque quaestio virorum doctorum utrum Lysiae an Isocratis oratio prior sit dubitantium hic nobis nullius momenti esse potest; nimirum id statuere volumus Isocratem Lysiae adversarium fuisse; ex quo haud dubie efficitur, ut Platoni propior factus censeatur [5]). Neque admirandum est Platonem cum per totum Phaedrum Lysiam impugnaret et cavillaretur, Isocratem, quem non in Lysiae modum orationes scribere sibi persuaserat, cuius in mente philosophiam quandam inesse cognoverat et nobilitatem, qua Lysias careret, summis extulisse laudibus. Lysias igitur aeque atque sophistae et Isocratis et Platonis adversarius erat. Neque minus dubitandum est, quin etiam Antisthenes ab utroque

1) Cf. Useneri quaestion. Anaximen. 7 sqq.
2) Cf. supra p. 13 sqq.
3) Cf. supra p. 13 adnot. 3.
4) Cf. contra haec verba Isocratis Bus. 5.
5) Cf. supra p. 13; Bruns, Literar. Portr. p. 251.

sit perstrictus. In communibus autem adversariis impugnandis non distrahuntur homines, sed coniunguntur. Quod spectantes non temere recentiores vvdd. sequemur, qui Isocratem adversarios Platonis impugnantem nihilominus Platoni ipsi adversatum esse iterum iterumque affirmabant.

Commemoremus Isocratem etiam postea non aliter de Alcibiade iudicavisse atque in oratione, quam modo tractavimus. Nimirum in Busir. § 5 Polycratem sophistam irridet, quod quamquam Socratem accusare voluisset, cum Alcibiadem ei discipulum dedisset, laudaverit. *Σωκράτους κατηγορεῖν ἐπιχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος Ἀλκιβιάδην ἔδωκας μαθητήν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον* (Is. dicere vult eum *μαθητὴν* sensu proprio vocabuli non fuisse; quibus in verbis ego non offendor; cf. autem Blassium l. c. II 248 adnot. 8), *ὅτι δὲ πολὺ διήνεγκε τῶν ἄλλων, ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν.* Quibus verbis denuo confirmavit, quanta affectus esset admiratione Alcibiadis magistrique eius. Videas etiam, quid Isocrates senex de Alcibiade senserit, Phil. 58 sqq. Admonet enim Philippum, ut exemplum illustrium praeteritae aetatis virorum sequatur: atque primum Alcibiadis, quem non sine admiratione nominat § 61.

Vidimus igitur Isocrati et Platoni in communi adversario — Lysia — impugnando communem amicum esse factum Alcibiadem: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων.* Communes etiam habebant Plato et Isocrates cum amicos tum discipulos.

Quare nunc de discipulis amicisque, quos uterque habebat, agamus. Nimirum reputandum est ex discipulis de magistris coniecturam nos facere posse, quam rationem vvdd. parum adhuc animadvertisse mihi videntur. De discipulis Isocratis iam saepius scriptum est [1]) atque iam per occasionem adnotatum [2]) Platonis discipulos etiam Isocratis esse factos et rursus Isocratis Platonis.

Revera veterum testimonia haud exigua sunt; quae sequentes enumeremus singulatim discipulos, quos Isocrates et Plato communes habuerunt.

1) Convertimus in rem nostram: Sannegii diss. De schola Isocratea, Hal. 1867; Blassii librum allatum (cf. imprimis II 52 sqq.).
2) Cf. exempli causa Christii Geschichte der griechischen Literatur [4] p. 391 adnotat. 2.

b) Isocrates et Plato habebant communes discipulos.

Atque exordiamur ab eo, qui non solum nomine coniunctus erat cum Isocrate, sed etiam amicitia, ab **Isocrate Apolloniata.** De quo tradit Suidas s. v. *Ἰσοκράτης Ἀμύκλα τοῦ φιλοσόφου, Ἀπολλωνίας τῆς ἐν τῷ Πόντῳ ἢ Ἡρακλείας, ὡς Καλλίστρατος, ὁ ῥήτωρ, μαθητὴς καὶ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἰσοκράτους, διακούσας καὶ Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου.* Iam patrem Isocratis nostri discipulum fuisse Platonis testantur Diog. L. III 46 *μαθηταὶ αὐτοῦ* (sc. Platonis) *Σπεύσιππος ...., Ἄμυκλος Ἡρακλεώτης* [1]; Aelian. V. H. III 19 *ὁ Πλάτων ... προετίμα αὐτοῦ* (int. Aristotel.) *Ξενοκράτην καὶ Σπεύσιππον καὶ Ἀμύκλαν καὶ ἄλλους.* Atque cum A. pater demum Aristotelis temporibus inter Platonis discipulos videatur fuisse, filium Isocratem paulo ante mortem Platonis (347) auditorem fuisse oportet. Platone mortuo Isocratis in disciplinam se tradidit, cuius successorem Suidas eum nominat. Quo factum esse videtur, ut discipulus non numquam pro magistro [2] vocetur. In enarrandis orationibus Isocratis Apolloniatae Suidas titulum affert *περὶ τῆς ἑαυτοῦ πολιτείας.* Qui titulus, quamquam incertus et satis dubius est, tamen consuetudinem non solum Platonis demonstrare videtur, cuius Respublica animum illius commoverat, sed etiam Isocratis, quippe qui pluribus in scriptis, quid de republica iudicaret, exposuisset. Qualibus transitionibus commercium factum esse loquendi audiendique manifestum est. Si Isocrates Platoni adversatus esset, vix discipulum atque auditorem Platonis in amicitiam et scholam recepisset.

Atque etiam eos, quos in numero illorum decem oratorum invenimus, **Hyperidem** et **Lycurgum,** Platonis auditores cognoscimus.

Hyperides: cf. Ps. Plut. vit. Hyper. 848 D *ἀκροατὴς δὲ Πλάτωνος γενόμενος τοῖ φιλοσόφου ἅμα Λυκούργῳ*

1) Cf. Suidam l. c. *ἢ Ἡρακλείας;* de patria proinde nihil certi habemus. Fortasse Amyclas, cum Clearchus anno 364 tyrannus Heracleae fieret, Apolloniam demigrare coactus est ita, ut Isocrates filius Apolloniata appellaretur (Blass II 449).

2) Harpocratio s. v. *ἐπακτὸς ὅρκος* Isocratem Apolloniatam auctorem „Demonici" orationis nominat, quam primam Isocratearum in editionibus invenimus.

καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος. Diog. L. III 46 in enumerandis Platonis discipulis nominat: *καὶ Ὑπερείδην τὸν ῥήτορα, ὡς Χαμαιλέων φησί,* cui testi fidem habere possumus: nimirum ex Peripateticorum veterum schola erat [1]. Phot. bibl. cod. 266 *Πλάτωνος δὲ τοῦ φιλοσόφου ἠκροάσατο* (sc. *Ὑπερείδ.*) *καὶ δὴ καὶ Ἰσοκράτους.* Suidas s. v. *Ὑπερείδ. μαθητεύσας ἅμα Λυκούργῳ καὶ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ* [2] *Ἰσοκράτει τῷ ῥήτορι.* Philostrat. vit. Soph. I 17, 5 (Didot), ubi de Isocrate loquitur, *ἀκροαταὶ τ' ἀνδρὸς τούτου πολλοί, ἐλλογιμώτατος δ' Ὑπερείδης ὁ ῥήτωρ.* Cf. etiam vit. anonymi (Zosimi?) Isocratis West. p. 256 et Ps. Plut. vit. X oratt. p. 837 D *ὡς δέ τινές* [3] *φασι καὶ Ὑπερείδ.* Quae testimonia evidenter nobis demonstrant Hyperidem, illum Isocratis discipulum, etiam Platonem audivisse. Atque iam mentionem fecimus **Lycurgi** Isocratei ut Platonis discipuli (cf. Ps. Plut. vit. Hyp. 848 D, Suid. l. c.). Confirmatur etiam alio loco Ps. Plut. p. 841 B, ubi dicitur de Lycurgo: *ἀκροατὴς δὲ γενόμενος Πλάτωνος — τὰ πρῶτα ἐφιλοσόφησεν, εἶτα καὶ Ἰσοκράτους — γνώριμος γενόμενος ἐπολιτεύσατο κτλ.* Praeterea Diog. L. III 46 in numerum Platonis discipulorum ascribit Lycurgum: *καὶ Λυκοῦργον ὁμοίως Πολέμων* [4] *ἱστορεῖ.* Conferamus etiam verba Olympiodori ad Gorgiam 515 D (I. I. Suppl. XIV 395), qui Philisci [5] affert testimonium: *ὁ Φιλ. τὸν βίον γράφων τοῦ Λυκούργου* [6] *φησίν, ὅτι μέγας γέγονε Λυκοῦργος καὶ πολλὰ κατώρθωσεν, ἃ οὐκ ἔστι δυνατὸν κατορθῶσαι τὸν μὴ ἀκροασάμενον τῶν λόγων Πλάτωνος.* Quibus ex verbis, quae significant Lycurgi actorum causam fuisse Platonis disciplinam, apparet simul, quanta affectus sit admiratione Platonis etiam **Philiscus,** qui cum Isocrate usu coniunctissimus fuit. Atque referunt eum inter Isocrateos: Dionys. Hal. de Isae. 19, ad Ammaeum I 2; vit. anonym. (Zos.?) p. 257 West.; Cic. de orat. II 94 (ubi falso Philistus scriptum est). Suid. s. v. *Φιλίσκος*

1) Wendling sub Chaemaleo (Pauly-Wissowa).

2) Ante *Ἰσοκράτει* '*καὶ*' interiisse manifestum est.

3) Huius rei Hermippum esse testem ex Athen. VIII 342 C intelligas (Blass. II 56, 1).

4) Qui auctor optimae fidei certissimus censendus est: fuit unus ex successoribus Platonis in Academia (a. 314—270).

5) Discipuli Isocratis.

6) Quam vitam Lycurgi Suidam falso sub *Φίλιστος* afferre iam Ruhnkenius hist. critic. oratt. Graec. 83 recte intellexit.

ὁ ῥήτωρ, Ἰσοκράτους ἀκουστὴς τοῦ ῥήτορος — γέγραπται αυτῷ τόδε· Μιλησιακός, Ἀμφικτυονικός, τέχνη ῥητορικὴ ἐν βιβλίοις β΄, Ἰσοκράτους ἀποφάσεις. Quem ultimum titulum Sannegius de Is. schola p. 24 (adnot.) recte interpretatus est per 'memorabilia'; Bergkius[1]) falso per „Absagebrief" (sc. in transitione in Platonis scholam), quam significationem iam grammaticorum e normis non probandam esse Blassius II 454 (adnot. 4) edocuit. Statuendum potius est eum post Isocratis magistri carissimi mortem memorabilia scripsisse illius, quo monumento gratum animum testaretur. Atque eundem virum, quem Isocrateum fuisse nullam dubitationem habet, summa Platonis admiratione imbutum nobis persuasimus. Mirum est, quod in Lysiam mortuum elegiam composuisse traditur; idem enim Lycurgi vitam scripsit; at nihil impedit, quominus statuamus pergrandem natu eum fuisse factum. Ps. Plut. 836 B: *ἐποίησε — εἰς αὐτὸν* (int. Lysiam) *ἐπίγραμμα,* quod invenies in editione Bergkii poet. lyric. II⁴ p. 327 sq. Quo in carmine Platonicas sententias inesse vvdd. opinati sunt. Quae sententia mihi quidem non probatur neque intelligo, cur Philiscus ad Lysiam praedicandum Platonis sententiis usus sit. Quare non magni momenti illud exemplum est. Ceteroquin Philiscum Platonis veneratione affectum fuisse iam ex verbis Olympiodori p. 39 allatis satis apparuit. Neque tamen solum oratores inter communes Isocratis Platonisque discipulos invenies, sed etiam eos, qui ad rem publicam se contulerunt. Velut **Clearchum,** tyrannum Heracleotarum, quem Isocratis discipulum fuisse constat ex epistula VII[2]) Isocratis, quam filio illius Timotheo mittebat: *Κλέαρχον κατὰ ... τὸν χρόνον, ὅτ᾽ ἦν παρ᾽ ἡμῖν ... ἐλευθεριώτατον ... καὶ πρᾳότατον καὶ φιλανθρωπότατον τῶν μετεχόντων τῆς διατριβῆς· ἐπειδὴ δὲ τὴν δύναμιν ἔλαβε, τοσοῦτον ἔδοξε μεταπεσεῖν ὥστε πάντας θαυμάζειν τοὺς πρότερον αὐτὸν γιγνώσκοντας* (§ 12). Quae verba filio scribit, qui patri successit. Fere eodem modo de Clearcho loquitur Memno apud Photium bibl. cod. 224 p. 222. *Κλέαρχον μὲν οὖν ἐπιθέσθαι πρῶτον τυραννίδι κατὰ τῆς πόλεως ἀναγράφει ... ὠμὸν δὲ τοῖς ὑπηκόοις καὶ μιαιφόνων, εἴπερ τινὰ ἄλλον, ἐπιδειχθῆναι κτλ.* Quibus verbis

1) „5 Abhandlungen" p. 24 adnot.

2) Quam veram esse mihi persuasi. Cf. Wilamowitzii librum „Aristoteles und Athen" inscriptum (II p. 391 sqq.), qui falsas vel fictas existimavit epistulas III, IV, VI, IX; cf. eiusdem „Unechte Briefe" in Hermae 33, 494.

inseritur: *φησὶ δὲ παιδείας μὲν τῆς κατα φιλοσοφίαν οὐκ ἀγύμναστον, ἀλλὰ καὶ Πλάτωνος τῶν ἀκροατῶν ἕνα γεγονέναι καὶ Ἰσοκράτους δὲ τοῦ ῥήτορος τετραετίαν ἀκροάσασθαι.* Atque Suidas s. v. *Κλέαρχος ὁ Ποντικὸς νέος ὢν εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο ἀκοῦσαι Πλάτωνος* de Isocrate[1]) magistro verbo nullo facto. Clearchum primum Platonis, deinde Isocratis discipulum fuisse verisimile est. Vituperat etiam Suidas eodem modo atque Isocrates (ep. 7), quod Cl. philosophiae studium, cum rerum potitus esset, reliquisset: *ἐγκρατὴς δ᾽ οὖν τῶν κοινῶν γενόμενος ὠμότατός τε ἦν καὶ εἰς ὑπεροψίαν ἐξαφθεὶς ἄμαχον τοῦ μὲν ἔτι ἄνθρωπος εἶναι κατεφρόνει, προσκυνεῖσθαι δὲ καὶ ταῖς τῶν Ὀλυμπίων γεραίρεσθαι τιμαῖς ἠξίου κτλ.*[2]). Isocrates quidem quod discipulus carissimus tyrannus factus erat, moleste tulit. Quamquam neque ei neque Platoni crimini tribuendum est, quod Clearchus viam dereliquit virtutis, cum etiam alii, qui ex Socratis et Platonis disciplina prodissent, deinde opibus et potentia abuterentur[3]).

Quibus expositis etiam **Timothei** fiat mentio, qui magnus bello nec minor pace summo consilio praeditus de re publica Atheniensium bene meritus est. Quem Timotheum, Cononis filium, et Platonis et Isocratis amicum fuisse traditur. Atque Isocratem praecipuo amore Timotheum esse amplexum apparet ex oratione *περὶ τῆς ἀντιδόσεως* (15) inscripta, ubi §§ 107–139 amico carissimo monumentum posuit perennius illo aëneo, quod Timotheus Isocrati magistro in Eleusinio fano exstrui iussit, cuius inscriptionem Ps. Plut. vit. X oratt. 838 D tradit hanc: *'Τιμόθεος φιλίας τε χάριν, ξύνεσίν τε προτιμῶν Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ᾽ ἀνέθηκε θεαῖς.'*

Atque idem p. 837 C testatur Isocratem discipuli expeditionum (anni 377/76) consortem fuisse: *I., σὺν ᾧ καὶ πολλὰς πόλεις*

1) Cuius tamen disciplina satis confirmata est testimoniis certissimis.

2) Pietatis causa afferantur, quae Hermannus Usener non ita multo ante mortem Rhein. Mus. 60 p. 8 in commentatione *Κεραυνός* inscripta de Clearcho dixit: „den bekannten Tyrann von Herakleia Klearchos hatte die Bildung, die er in den Hörsälen des Isokrates und Platon gesucht hatte, nicht vor dem Wahnwitz bewahrt, sich als Gott zu fühlen."

3) Quin etiam librum *περὶ τῶν ἀπὸ φιλοσοφίας εἰς τυραννίδας καὶ δυναστείας μεθεστηκότων* Hermippus scripserat, cf. Philod. Ind. Acad. XI 4 (H. Diels in praefatione editionis Didymi e papyro 9780 Berol. p. 38).

ἐπῆλθε, συντιθεὶς τὰς πρὸς Ἀθηναίους ὑπὸ Τιμοθέου πεμπομένας ἐπιστολάς. ὅθεν ἐδωρήσατο αὐτῷ τάλαντον τῶν ἀπὸ Σάμου περιγενομένων. Atque ex Isocratis epistula VIII 8 facile intelligi potest, quanti aestimaverit Timotheum iam mortuum, de quo pulchre dicit: *εἰ Κόνων ... καὶ T. ἐτύγχανον ζῶντες, ... πολλὴν ἂν αὐτοὺς ποιήσασθαι σπουδήν, εὑρέσθαι με βουλομένους ὧν τυγχάνω δεόμενος. οὐδεὶς γὰρ ὑμῶν οὕτως ἐστὶ νέος οὐδ' ἐπιλήσμων, ὅστις οὐκ οἶδε τὰς ἐκείνων εὐεργεσίας.* Conferatur etiam Antid. 101, ubi iracunde fert se de amicitia Timothei, amici mortui et multorum bonorum rei publicae auctoris, in suspicionem venisse. Quibus ex testimoniis intelligere possumus Timotheum non solum Isocratis discipulum, sed etiam amicum fuisse, de quo mentionem numquam fecit nisi honorificam [1]).

Atque eundem etiam Platone familiariter et intime usum esse variis confirmatur testimoniis. Athen. X 14 p. 419 D *T. ... ἐκ τῶν πολυτελῶν καὶ στρατηγικῶν δείπνων παραληφθεὶς ὑπὸ Πλάτωνος εἰς τὸ ἐν Ἀκαδημείᾳ συμπόσιον καὶ ἑστιαθεὶς ἀφελῶς καὶ μουσικῶς ἔφη, ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίγνονται.* Quae narratiuncula iam apud Plutarchum de tuenda sanitate praecept. p. 127 B invenitur [2]). Quibus argumentis nisus iam C. Fr. Hermannus [3]) recte conclusit: „wer Timotheos einlud, konnte auch seines Lehrers und Bewunderers Feind nicht sein." Neque tamen uno ex illo symposio, ad quod Plato Timotheum, Isocratis amicum, invitavit, intelligi potest Timotheum et Platonem amicos fuisse; etsi evidenter elucet Platonem non invitavisse in domum suam, quem non in honore aliquo habuerit. Sed audiamus narrationem, quam tradit Aelianus V. H. II 10: *Τιμόθεον ἀκούω τὸν Κόνωνος — ὅτε ἐν ἀκμῇ τῆς εὐτυχίας [4]) ἦν, — καὶ οὐκ εἶχον οἱ Ἀθηναῖοι ὅποι ποτὲ αὐτὸν κατάθωνται ὑπὸ θαύματος τοῦ περὶ τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ τοῦτόν γε Πλάτωνι — περιτυχόντα βαδίζοντι ἔξω τοῦ τείχους μετά*

1) „I. hatte ihm nahe gestanden, und es ehrt den Schriftsteller, dass er sich gedrungen fühlte, dem Verbannten ein Freundschaftsdenkmal zu setzen. Andererseits war es eine erwünschte Analogie zu dem Prozess des Sokrates (cf. infra), wenn er fingieren konnte, sein Verhältnis zu dem berühmten Manne werde ihm vorgeworfen. Das erinnerte an Kritias und Alkibiades Verkehr mit Sokrates." Bruns, Literar. Portr. p. 528.

2) De eadem re cf. Aeliani V. H. II 18.

3) Geschichte und System d. Platon. Philos. p. 123.

4) Foede eum interiisse post bellum sociorum (354/3) satis notum est.

τινων γνωρίμων καὶ ἰδόντα σεμνὸν μὲν ἰδεῖν τὸ πλάτος, ἵλεων δὲ τῷ προσώπῳ, διαλεγόμενον δὲ οὐχὶ περὶ εἰσφορᾶς χρημάτων οὐδὲ ὑπὲρ τριηρῶν, οὐδὲ ὑπὲρ ναυτικῶν χρειῶν, οὐδὲ ὑπὲρ πληρωμάτων οὐδὲ ὑπὲρ τοῦ δεῖν βοηθεῖν, οὐδὲ ὑπὲρ φόρου τοῦ τῶν συμμάχων [1]), *οὐδὲ ὑπὲρ τῶν νησιωτῶν, ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινὸς τοιούτου φληνάφου, ὑπὲρ ἐκείνων δέ, ὧν ἔλεγε Πλάτων, καὶ ὑπὲρ ὧν εἴθιστο σπουδάζειν, ἐπιστάντα τὸν τοῦ Κόνωνος εἰπεῖν· ὢ τοῦ βίου καὶ τῆς ὄντως εὐδαιμονίας.* Quibus ex verbis summam apparere admirationem, quis est qui negat? Neque habere possumus exemplum, unde clarius demonstretur Isocratis discipulum et amicum eodem tempore Platonis amicum admiratoremque esse potuisse.

Etsi testimonia non multa sunt, tamen gravia confirmantque ea, quae attuli, id quod iam aliis rationibus argumentisque commoti de Isocratis et Platonis consuetudine iudicavimus.

Exemplis allatis duo addere mihi liceat idem confirmantia, quamquam ea satis dubia esse concedo.

Pythonem Byzantium Isocratis [2]) discipulum etiam Platonis inter discipulos habendum esse Reiskius, Rumpfius [3]), C. Fr. Hermannus, alii [4]) proposuerunt testimonium Diog. L. III 46 sequentes, ubi *Πείθων καὶ Ἡρακλείδης Αἴνιοι* discipuli Platonis nominantur. Si coniectura vvdd., qui Peithonem illius loci eundem esse voluerunt atque nostrum Pythonem, recta est, ea opinionem nostram adiuvare potest.

Eodem iure afferre possum coniecturam Schaeferi [5]), qui Platonis [6]) discipulum Aristonymum eundem habuit atque Isocratis [7]) discipulum Hieronymum Arcadem. Sed ex coniecturis coniecturas facere periculosum puto. Accedit, quod duo exempla plus minusve fere pro nihilo habenda sunt [8]), prae-

1) Temporibus paulo ante bellum sociorum de talibus rebus multa scripta sunt, velut etiam Xenophontis libellus *Πόροι* inscriptus.

2) Cf. schol. Aesch. 2, 125; Olympiod. ad Plat. Gorg. I. I. Suppl. XIV 117. Vit. Anonym. p. 257 West.

3) Diss. Giss. (1815) De Charidemo Orita p. 19.

4) Etiam A. Schaefer, Demosth. u. s. Zt. I² 157, II² 375 sqq.

5) l. c. II 160.

6) Cf. Plut. adv. Colot. 32 p. 1126 C.

7) Schol. in Dem. XIX p. 344, 8. 13.

8) Neque tamen omittam etiam Charmantidis Isocratis discipuli (Antid. 93) Platonem facere mentionem Rep. I 328 B.

sertim cum exemplum Timothei plus quam cetera doceat. Quod etiam Wilamowitzius intellexit, quamquam in universum de Isocrate et Platone non aliter iudicat atque Spengelius, concedens eos inter annos 380—60 sine offensa consuetudine inter se coniunctos esse potuisse (Aristotel. u. Athen I 325 adnot.). Neque tamen intelligo, cur Wil. annis 380—60 Isocratem Platonis commercio usum esse velit. Nimirum saepius elocutus est Isocratem post Phaedrum a Platone abalienatum esse. Ego quidem ex l. c. II p. 391 (Is., der trotz aller späteren Entfremdung) concludere me debere puto Wilamowitzium idem iudicare atque Spengelium, qui Euthydemum post Phaedrum scriptum esse exposuit. Atque concedit Wil. l. c.: „für die Rhetorik hatte I. schon, soviel in seinen Kopf ging, aus dem Phaidros gelernt, mehr noch aus dem Verkehre mit dem ihm damals geneigten Verfasser.“ Sed haec hactenus. Atque pergamus in tractandis discipulis, quibus pariter cum Platone atque cum Isocrate necessitudo fuit.

Atque primum inquiramus in **Cephisodorum,** Isocratis discipulum (Dionys. de Isae. 19; ad Ammaeum I 2) qui quod Aristotelem impugnavit, inde vel maxime viri docti concluserunt simultatem etiam inter praeceptores utriusque fuisse. Testimonia autem haec: Dionys. Hal. Isocr. 18: *τὸν Ἀθηναῖον Κηφισόδ.*, *ὃς καὶ συνεβίωσεν Ἰσοκράτει καὶ γνησιώτατος ἀκουστὴς ἐγένετο καὶ τὴν ἀπολογίαν τὴν πάνυ θαυμαστὴν ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλη ἀντιγραφαῖς ἐποιήσατο.* Athen. III 94 p. 122 B *K. ὁ Ἰσοκράτους μαθητὴς ἐν τῷ τρίτῳ τῶν πρὸς Ἀριστοτέλη.* Idem II 56 p. 60 D *K. ὁ Ἰσοκρ. μαθ. ἐν τοῖς κατ᾽ Ἀριστοτέλους* [1]). *τέσσαρα δ᾽ ἐστὶ ταῦτα βιβλία.* Quattuor proinde libris Cephisodorus pro Isocratis magistri fama propugnavit in Aristotelem. Quam apologiam — ut ita vocem Cephisodori defensionem Isocratis — post mortem Isocratis (339/38) scriptam esse mihi persuasi [2]). Neque tamen Blassio adstipulor, qui concludit tunc (i. e. paulo post Isocratis mortem) Aristotelis libros iam editos fuisse, quos C. impugnaverit. In hac re Bergkium prudentius iudicavisse

1) Aristotelem vituperavisse Cephisodorum illa apologia testatur etiam Themist. or. IV 285 B; cf. etiam Numenium apud Eusebium (praep. ev. 14, 6).

2) „Ich glaube nicht, dass K. zu Isokrates Lebzeiten schrieb, wo weder eine Verteidigung durch einen dritten überhaupt angemessen, noch diese Art der Verteidigung angängig war“ sic recte Blassius II 453.

puto, qui l. c. p. 24 Cephisodorum, cum tunc — praeter dialogos — scripta Aristotelis non edita fuissent, in ea invehi nequisse recte adnotavisse mihi videtur.

Priusquam autem de Cephisodori apologia Isocratis adversus Aristotelem scripta explicare possum quid sentiam, **de ratione, quae inter Aristotelem et Isocratem intercesserit,** quia inde iam saepe perversam fecerunt coniecturam vvdd., pauca disputanda esse censeo.

Atque primum quaeramus, num Isocrates ipse nobis illarum ‘inimicitiarum’ interpres esse possit. Id quod negare nolim. Isocrates duobus annis ante mortem epistulam misit Alexandro, Philippi filio, quam genuinam esse persuasissimum habeo [1]). Cuius epistulae § 1 I. postquam Alexandrum filium epistula non minus dignum esse quam Philippum patrem exposuit, addit, quid secundo loco illa epistula velit: *ὃ ποιήσει τοὺς ἀναγνόντας μὴ νομίζειν ἤδη με παραφρονεῖν διὰ τὸ γῆρας μηδὲ παντάπασι ληρεῖν, ἀλλ᾽ ἔτι τὸ καταλελειμμένον μου μέρος καὶ λοιπὸν ὂν οὐκ ἀνάξιον εἶναι τῆς δυνάμεως, ἣν ἔσχον νεώτερος ὤν.* His verbis I. sine dubio dicere vult: Alexandrum fortasse audivisse ab eis, quibuscum viveret, Isocratem non iam mentis compotem propter senectutem omnibus modis nugari; quibus verbis fidem ne habeat. Quod hac forma adulescenti regii sanguinis neque voluit scribere neque potuit. Qua re argute et eleganter ita expressit: epistulam se misisse, ne ei, qui legissent [2]), putarent se non iam mentis compotem e. q. s. Ita decuit virum urbanum. Quinam sunt illi *ἀναγνόντες?* Qui epistulam legere potuit? De Aristotele hic cogitandum esse, qui tunc (inde a. 343) Alexandri praeceptor fuit, mihi satis probabile videtur. Atque Aristotelem, tunc iuvenem 40 annorum, obiurgavisse Isocratem de senili loquacitate ponamus. Quod I. audiverat. Neque litteris, sed verbis Aristotelem Isocratis auctoritatem detrectasse puto. Nimirum I. Aristoteli, si litteris impugnavisset, sine dubio respondisset. Nunc autem audiverat ab aliis, quid A. de se iudicaret. Atque ultus est — eleganter et argute.

1) Audi Wilamowitzium „Aristoteles und Athen“ II 399 asseverantem „er ist ächt, weil er tiefer ist, als er scheint, und auf notorisch wahre Verhältnisse versteckt Bezug nimmt.“ (I. Bekker epistulam genuinam esse negavit.)

2) *ἀναγιγνώσκοντες* etiam praelectores significare potest; (cf. Is. V 26 quo ex loco elucet Philippo Isocratis orationem praelegendam esse); neque tamen necessarium est.

Nimirum tota in epistula multa abdita in occulto latent. Quod I. Alexandro scribit se audivisse eum tam enixe philosophiae (i. e. studio litterarum vel studio artis rhetoricae) operam dare, Isocrates ipsum contrarium[1] aut audivisse aut metuisse videtur. Ut assequatur, quod vult, laudat Isocrates principem. Quod recte intellexisse censeo Wilamowitzium l. c. p. 398 sq. „der Rhetor (Is.) stellt, was er wünscht, mit harmlosem Gesichte so dar, als hätte er es gehört und belobt den Prinzen für das, was er gern an ihm loben würde.“ Isocrates quod sperat et optat, ut fiat, quasi factum describit atque praedicat, Alexandro gratulans, quod studium artis rhetoricae regi futuro utilissimum esse (§ 4) sibi persuaserit. *σωφρονεῖς οὖν νῦν ταῦτα μελετῶν.* Atque verba, quae sequuntur (§ 5), praecipui momenti mihi videntur. Is., quippe qui Platonis Phaedrum saepe et libenter legisset, hic Alexandrum eodem modo — fere iisdem[2] verbis — laudibus effert atque ipse multis annis ante a Platone in Phaedri epilogo — tunc iuvenis — praedicatus erat. I. ipse senex factus fas esse duxit eodem modo atque Socrates senex ipsum laudaverat (in Platonis Phaedro) Alexandrum adulescentem, ut in suas partes duceret, laudibus efferre. Atque id ipsum quod Socratis vel Platonis laudibus dignus fuerat, solatio ei erat eo magis, quoniam Aristoteles de ingenii facultate addubitaverat. Ita illam epistulam interpretandam esse censeo.

---

1) Cf. § 3: *τῶν τε φιλοσοφιῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν μὲν οὐδὲ τὴν περὶ τὰς ἔριδας ἀλλὰ νομίζειν εἶναι πλεονεκτικὴν ἐν ταῖς ἰδίαις διατριβαῖς, οὐ μὲν ἁρμόττειν κτλ.*

2) Comparandi causa Platonis et Isocratis verba afferantur:

Plat. Phaedr. 279 A	Isocr. epist. V 5
οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν	*ἐλπίδας παρέχεις*
προϊούσης τῆς ἡλικίας	*πρεσβύτερος γενόμενος*
εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ	*ἂν ... ἐμμείνῃς τούτοις*
πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων	*τοσοῦτον προέξεις τῇ φρονήσει τῶν ἄλλων*

Imitatio satis patet; quamquam concedo eam etiam ex eo explicari posse, quod similis condicio similes sententias efficit. Sed ostentatione quadam I. non absolvendus est; Phaedri verba suaviter eum affecerant per totam vitam. Cf. Phil. 82: *τοῦ φρονεῖν εὖ καὶ πεπαιδεῦσθαι καλῶς ἀμφισβητῶ, καὶ θείην ἂν ἐμαυτὸν οὐκ ἐν τοῖς ἀπολελειμμένοις ἀλλ᾽ ἐν τοῖς προέχουσι τῶν ἄλλων.* (Cf. Plat. Phaedr. p. 279 A *πλέον ἢ παίδων διενέγκοι κτλ.*)

Quibus cognitis **Cephisodori** apologiam Isocratis adversus Aristotelem scriptam rectius intelligemus. Neque gravem iniuriam Aristotelem Isocrati intulisse etiam illa ipsa defensione Cephisodori confirmatur, quam contumelias verborum non continuisse testatur Athen. VIII 50 p. 354 C *οὐδὲ Κηφισόδωρον τοιοῦτόν τι ἐτόλμησεν εἰπεῖν* (ex antecedentibus intelligas: nihil turpe, nihil ignominiosum) *κατὰ τοῦ Σταγιρίτου.* C. cur scripserit illam apologiam Isocratis, magistri sui, haud difficulter intelligi potest. Nimirum cum magistrum pergrandem natu saepius moleste tulisse Aristotelis dicta audivisset, post mortem defendere contra Aristotelem constituit. Atque tegere studebat Isocratem a crimine *δικογραφίας*[1]; cf. Dionys. Isocr. 18 *μηδεὶς ἀγνοεῖν μ᾽ ὑπολάβῃ, μηδ᾽ ὅτι Ἀφαρεὺς — ἐν τῷ πρὸς Μεγακλείδην π. τ. ἀντιδόσεως λόγῳ διορίζεται, μηδεμίαν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπόθεσιν εἰς δικαστήριον γεγράφθαι· μηδ᾽ ὅτι δέσμας πάνυ πολλὰς δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν ὑπὸ τῶν βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης — ἱκανὸν δὲ ἡγησάμενος εἶναι τῆς ἀληθείας βεβαιωτὴν τὸν Ἀθηναῖον Κηφισόδωρον πιστεύω γεγράφθαι λόγους ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς εἰς δικαστήρια, μὴ μέντοι πολλούς.* Cephisodorum igitur hac apologia Isocratem de crimine quasi *λογογράφος* esset, purgavisse Dionysii testimonio confirmatur. Neque tamen perite defendit, cum in Aristotelis praeceptis impugnandis etiam Platonem[2] aggressus est, „indem er als rechter Laie in der Philosophie als selbstverständlich voraussetzte, dass dessen Lehren auch die seines Schülers Aristoteles seien“, Blass II 452. Cf. etiam Bernays „Dialoge des Aristoteles“ p. 151. Quod etiam e Numenii verbis (apud Euseb. praep. ev. 14, 6) elucet: *ἐπειδὴ ὑπ᾽ Ἀριστοτέλους βαλλόμενον ἑαυτοῦ τὸν διδάσκαλον Ἰσοκράτην ἑώρα, αὐτοῦ μὲν Ἀριστοτέλους ἦν ἀμαθὴς καὶ ἄπειρος, ὑπὸ δὲ τοῦ καθορᾶν ἔνδοξα τὰ Πλάτωνος ὑπάρχοντα, οἰηθεὶς κατὰ Πλάτωνα τὸν Ἀ. φιλοσοφεῖν, ἐπολέμει μὲν Ἀριστοτέλει, ἔβαλλε δὲ Πλάτωνα καὶ κατηγόρει ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἰδεῶν, τελευτῶν εἰς τὰ ἄλλα ἃ οὐδ᾽ αὐτὰ*[3] *ᾔδει,*

---

1) Isocr. ipse *λογογράφος* esse noluit, cf. 4, 11; 15, 2: Duemmlerus Kl. Schr. I 104 cur hic de Platone cogitaverit, non intelligo.

2) Cf. Dionys. ad Cn. Pomp. 757 (R.): *καὶ γὰρ τὰ δόγματα διέβαλον αὐτοῦ* (int. Platonis) *τινες καὶ τοὺς λόγους ἐμέμψαντο ... οἱ περὶ Κηφισόδωρον.*

3) *αὐτὰ* pro *αὐτός* Bernays.

ἀλλὰ τὰ νομιζόμενα ἀμφ' αὐτῶν ᾗ λέγεται ὑπονοῶν. Ignarus igitur C., quantopere Aristoteles, quem impugnabat, ipse Platonis praeceptis contrarius fuerit [1]), neque fide neque auctoritate magna dignus habendus est. „Insofern steht Keph. doch weit unter Isokrates, dem derartige grobe Irrtümer nicht hätten begegnen können" (Blass. l. c.). Neque nos Cephisodori iudicio pondus afferre possumus. Quod discipulus post mortem magistri in Aristotele impugnando de rationibus Platonis iudicavit, neque contra Isocratis Platonisque necessitudinem facit neque eam probat. Atque omnes, qui ex ea re, quod Isocrateus Platonem impugnaverit, coniecturas fecerunt, non satis animadverterunt non solum Aristotelem ipsum saepe recessisse a Platonis decretis, sed etiam Aristotelis discipulos Platonem cavillatos esse. Veluti Demetrium Phalereum, Aristotelis et Theophrasti discipulum, Platonis adversarium fuisse tradit Dionysius ad Cn. Pomp. 2 p. 760 R. Etiam Dicaearchum Platonis dictionem ineptam [2]) vituperasse Diogenes L. enarrat III 38 *τὸν τρόπον ὅλον τῆς γραφῆς ἐπιμέμφεται ὡς φορτικόν*, ubi de Phaedro dialogo hoc loco agitur. (Cf. etiam Dionys. de Lysia 3 p. 458 et Longin. de sublim. 32, 7.) Quos locos iam C. Fr. Hermannus libri citati p. 567 attulit. Nimirum demonstrant nihil perversius esse quam ex eo, quod Is. vel Cephisodorus in simultate quadam cum Aristotele, Platonis discipulo, fuerunt, concludere Isocratis cum Platone necessitudinem in inimicitias converti, posterioribus annis Platonem aliter de Isocrate iudicare debuisse atque in Phaedro [3]).

Neque multo aliter atque supra exponere studui, Aristotelem cavillatum [4]) esse Isocratem etiam aliis argumentis mihi persuasi.

---

1) Bernays (l. c. p. 46) Plut. adv. Colot. 14 affert, ubi Plutarchus de illo Epicureo ridet, quod Aristotelem in Platonis verba iurantem pronuntiaverit. Quam opinionem repellit Plut. addens Aristotelem Platonis rationem primariam — idearum — quassavisse ... *τὰς ... ἰδέας ... πανταχοῦ κινῶν Ἀ. καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν κτλ.*

2) Etiam Praxiphanes, Theophrasti discipulus, reprehendit Platonis Timaeum. Cf. Procli in Timaeum p. 5 C; Hirzel, Dialog I 414, 4.

3) Ita Spengelius; ita Stahrius (Hall. Jahrb. 1838 p. 2078), similiter Sannegius, de schol. Isocr. p. 57 sq.

4) Simultas quaedam non neganda est; cf. hypoth. ad Isocrat. or. c. soph.; Cic. Tusc. I 4, 7; Offic. I 1, 4; Zeller, Phil. d. Gr. II 2^3 p. 18, 3.

Ut omittam testimonium satis dubium [1]) Romanorum [2]), qui tradunt Aristotelem, cum scholam conderet, Isocrati infensum exclamavisse: '*αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν*' in Aristotelis ipsius scriptis nihil eiusmodi inveniemus. Artem rhetoricam post Isocratis mortem compositam nullos eiusmodi impetus in Isocratem hostiles praebere satis notum est. Quamquam concedo Aristotelem verbis I 2 p. 6 Sp. *διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορικὴ καὶ οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης, τὰ μὲν δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ δι' ἀλαζονείαν καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς* fortasse Isocratem carpere voluisse, tamen reputandum est Aristotelem hoc loco distinguere per *τὰ μὲν* et *τὰ δέ*. Crimen igitur in duas partes bipertitum est. Neque in numero eorum, quos *δι' ἀπαιδευσίαν* vituperat, Aristotelem habuisse Isocratem credibile est. Atque etsi concedimus eum Isocrati ut seni nimiae sui aestimationis pleno adversatum esse, tamen etiam quadam admiratione imbutum exempla artis rhetoricae suae ex Isocrate sumpsisse [3]) deliberemus. Aristotelem similiter atque Isocratem eos, qui 'artes' scripserint, cavillatum esse Blassius II 66 recte notavit illum locum afferens Aristotel. Rhet. I 1 p. 5, 6 Sp., ubi A. in universum vituperat eos, qui in orationibus forensibus in aliorum usum scribendis versentur. Quantum A. Isocrati debuerit, Wilamowitzius (Aristotel. u. Athen) [4]) saepius pronunciavit. „Es ist eine einseitige und ungerechte Auffassung, wenn man verkennt, dass I. der nächste und bedeutendste Vorgänger des Aristoteles gewesen ist. Gewiss steht dieser unendlich

---

1) Diog. L. III 5 exhibet *Ξενοκράτη*.

2) Cic. de orat. III 35, 141; Quintil. III 1, 14.

3) Ex Panegyrico affert 15 locos, ex Philippo 6. Isocratem hanc ob rem questum esse Duemmlerus affirmavit (Kl. Schr. II 447) Isocratis Phil. 11 afferens. Neque tamen ille locus ad Aristotelem referri potest; nimirum Is. illo loco gloriatur, quod etiam inimici (Plural!) imitentur Panegyricum suum. Neque imitatus est A. Panegyricum, sed exempla artis rhetoricae inde sumpsit. Recte Zeller, Phil. d. Griech. II 2^3 p. 18, 3: „im übrigen lässt sich A. durch diese Reibungen (de quibus supra egi, cf. Cic.) von einer gerechten Würdigung ... nicht abhalten. Seine Rhetorik wählt ihre Beispiele aus keinem andern Redner mit solcher Vorliebe, wie aus Isokrates.

4) Cf. nunc Griech. Literat. des Altertums (1905) p. 68: „in der Praxis stand er (Aristotel.) stark unter dem Einflusse des Isokrates. Nicht nur, dass er eine Anzahl von dessen Reden offenbar als Musterstücke im Gedächtnisse seiner Schüler voraussetzte: er schreibt für das grosse Publikum sehr viel mehr isokrateisch als platonisch."

höher, aber er steht auf jenes Schultern", l. c. I p. 320. Quibus consideratis recte, quae ratio inter Aristotelem et Isocratem obtinuerit, iudicabimus neque temere probabimus sententias eorum, qui quod Cephisodorus, Isocratis discipulus, in Aristotelem invectus sit, propterea etiam magistros utriusque, Platonem et Isocratem, inimicos fuisse affirmare non desierunt.

Reliquum est, ut de alio Isocrateo agamus, cui et cum Isocrate et Aristotele et Platone necessitudinem fuisse traditur, de **Theodecte.**

Isocrateum fuisse testimonio sint: Ps. Plut. p. 837 C *καὶ Θεοδέκτης ὁ Φασηλίτης ὁ τὰς τραγῳδίας ὕστερον γράψας.* Suidas s. v. Athen. X 75 p. 451 E. Cf. etiam Vit. Is. p. 257 West. Atque quamquam Isocrateus fuit, tamen etiam Aristotelis discipulus fuisse dicitur, quocum amicitia [1]) coniunctus fuit. Cic. Orat. 172: 'eius (Aristotelis) auditor Theodectes'. Cf. etiam Valer. Max. VIII 14, 3.

Aristotelis discipulum fuisse elucet etiam ex narratiuncula pulchra Plut. Alex. c. 17, ubi de Alexandro Magno urbem Phaselim visente [2]) haec traduntur: *διὸ καὶ πλείονας ἡμέρας ἐν τῇ πόλει διέτριψεν. ἐν αἷς καὶ Θεοδέκτου τεθνηκότος (ἦν δὲ Φασηλίτης) ἰδὼν εἰκόνα ἀνακειμένην ἐν ἀγορᾷ, μετὰ δεῖπνον ἐπεκώμασε μεθύων καὶ τῶν στεφάνων ἐπέρριψε πολλούς, οὐκ ἄχαριν ἐν παιδιᾷ ἀποδιδοὺς τιμὴν τῇ γενομένῃ δι' Ἀριστοτέλην καὶ φιλοσοφίαν ὁμιλίᾳ πρὸς τὸν ἄνδρα.*

Deinde mentio fit Theodectis *τέχνης*, quae ab Aristotele quasi suum ipsius opus designatur: Rhet. III 10. 1410^{b}, 2 *αἱ δ' ἀρχαὶ τῶν περιόδων σχεδὸν ἐν τοῖς Θεοδεκτείοις ἐξηρίθμηνται* [3]). Ex ipso titulo '*Θεοδέκτεια*' apparere videtur illa scripta ita intelligenda esse, ut Th. discipulus diligentissimus Aristotelis, quod in schola magistri audiverat, eius consensu componeret et ederet, quapropter A. illud Theodectis opus quasi suum habere potuit. Theodectem post Aristotelis discessum Athenis (347) scholam magistri con-

1) Steph. Byz. s. v. *Φάσηλις: κάλλει διαφέρων* Theodectes. Athen. XIII 21 p. 566 E: *Σωκράτης — τοῦ Ἀλκιβιάδου κάλλους οὐχ ἧττων ἐστίν; ὡς καὶ ὁ σεμνότατος Ἀριστοτέλης τοῦ Φασηλίτου μαθητοῦ;* fortasse carmine A. Theodectis pulchritudinem praedicaverat. (Blassius.)

2) Alex. visit Phaselim Olymp. 111/3 = 334/3.

3) Diog. L. V 24 in enarrandis Aristotelis operibus: *τέχνης τῆς Θεοδέκτου εἰσαγωγῆς α'.* Vita Aristotelis p. 403 West. *τέχνης τῆς Θεοδέκτου συναγωγὴ ἐν γ'.*

tinuavisse Dielsius edocuit [1]), qui etiam concessit Theodectem Isocrateum Aristoteli in communi studiorum campo magno usui fuisse. „Denn da A. trotz seiner Antipathie gegen Isokrates doch im Technischen grosse Stücke auf ihn hält, so war ihm gewiss ein früherer Schüler jenes Rhetors — von grossem Nutzen." Theodectem in illis scriptis — quae inde ab Aristotele *Θεοδέκτεια* nominantur — Isocratis praeceptis sese applicuisse Blassius II 446 recte exposuit. Tantum autem aberat, ut Th. Aristotelis praeceptis adversaretur [2]), ut Aristotelem sequeretur, quippe cuius praecepta artis rhetoricae non admodum aberrarent iis, quae Isocrates docuerat. Id quod recte intellexit Wilamowitzius l. c. I 320: „also hat er (A.) sich in den Vorträgen, die er dem Theodektes zur Herausgabe überliess, noch viel näher an Isokrates gehalten. Und der gemeinsame Freund bildete auch persönlich ein Bindeglied zwischen dem greisen Rhetor und dem aufstrebenden Platoniker; zu einem Konflikte zwischen diesen beiden ist es nicht gekommen" [3]). Quibus consideratis non falsas coniecturas de Isocratis et Aristotelis vel amicitia vel inimicitia faciemus. Atque iam vidimus epistulam V. Isocratis solam nobis ostendere inimicitias quasdam, quas Isocrates senex graviter tulerit; Cephisodorus discipulus, cum magistro officium gratiae putaret praestare, — contra Aristotelem defendens Isocratem — effecit, ut plus iusto posteri Aristotelem ab Isocrate abalienaverint. Ut Timotheus Platonem cum Isocrate, ita Theodectes Aristotelem cum Isocrate artiore iunxit vinculo.

Atque idem Theodectes etiam Platonem audiverat [4]), qua re confirmatur id quod supra p. 38 exposui. Neque desunt vestigia, quae Platonis auctoritatem in Theodectis scriptis impressam etiam nunc nobis monstrant. Cf. fragmentum Theodectis ab Aristotele (Rhet. II 23 p. 96 Sp.) traditum; de quo cf. Blassium II 447. Et veneratum esse Theodectem Platonem etiam titulus fragmenti *Σωκράτους ἀπολογία* demonstrat, ex qua Aristoteles Rhet. II 23 p. 97 Sp. affert verba: *εἰς ποῖον ἱερὸν ἠσέβηκεν;*

1) Das 3. Buch der Aristotelischen Rhetorik, Abhandlungen der Berliner Akademie d. Wiss. 1886, imprimis p. 13 sq.

2) Velut Blassius l. c.

3) Cf. ea, quae supra p. 47 demonstravi; sine ulla tamen simultate Cephisodori apologia Isocratis contra Aristotelem scripta intelligi non potest.

4) Suidas s. v. *Θεοδέκτης ὁ ῥήτωρ, τραπεὶς δ' ἐπὶ τραγῳδίας, μαθητὴς Πλάτωνος καὶ Ἰσοκράτους καὶ Ἀριστοτέλους.*

τίνας θεῶν οὐ τετίμηκεν ὧν ἡ πόλις νομίζει; Atque coniecturam facere possumus Theodectem ab Isocrate ad Socratis apologiam componendam esse commotum. Nimirum in 'Busiride' Isocrates Polycrati sophistae orationem opposuerat meliorem potioremque (§ 5 *ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ προχειρότατον ποιεῖν κτλ.*). Quo in libello etiam alterius orationis Polycratis mentio fit: *κατηγορίας Σωκράτους*, cui orationi, ut aliam [1]) opponeret, suasisse Isocratem uni ex discipulis suis, mihi quidem probatur. Isocrates ipse fortasse noluit scribere talem librum: scripsit enim illis temporibus suam ipsius apologiam *περὶ τῆς ἀντιδόσεως* [2]). Theodectem circa annum 360 Isocratis discipulum fuisse Sannegius l. c. p. 36 probabiliter exposuit. Nimirum aetas Theodectis ita circumscribenda est, ut obitus ante Ol. 111/3 = a. 334/3 cadat (cf. Plut. Alex. 17, vide supra p. 48) atque cum existimandum sit eum iam pluribus annis ante mortuum fuisse [3]), annum natalem Suidam sequentes, qui eum 41 annos natum esse mortuum memoriae prodit, circiter in anno 380 ponere debemus [4]). Proinde si inde ab a. 360 eum Isocratis discipulum fuisse statuerimus, veritati appropinquabimus. His annis Isocrates cum Platonis *ἀπολογίαν Σωκράτους* semel atque iterum legisset [5]), discipulo summa ingenii vi praedito, quem

1) Nimirum pro *κατηγορία* apologiam.

2) Qui libellus editus est a. 353.

3) Praesertim si deliberamus Alexandrum Phaselide eius statuam in foro exstructam vidisse.

4) Welcker, Griech. Trag. p. 1069 proponit a. 375: sero.

5) Oratio 15 Isocratis *περὶ ἀντιδόσεως* inscripta mihi quidem non satis videtur intelligi posse nisi a Platonis apologia Socratis aliquatenus eam pendere statuimus. Quamquam concedo multas similitudines etiam ex eo explicari posse, quod similis condicio (apologia) similes postulat sententias cogitationesque. Qua de re disceptare tempus non opportunum est; id autem affirmare non dubito Socratis condemnatione et morte Isocratem veneratione Socratis completum esse (cf. Antid. 19), qua Platoni propior factus est. Neque comprobo Duemmleri sententias (Kl. Schr. I 100, 109); cf. quaeso Blassii l. c. II 44. Atque iam Hieronymus Wolf in edit. Isocr. oper. (Basileae 1553) p. 663: 'tota oratio', inquit, 'magnam similitudinem habet cum apologia Platonica Socratis.' Id quod etiam Spengelius concessit. Perrexit deinde similitudines componere M. Schanz, Samml. ausgew. Dial. Plat., vol. III, cf. p. 117 sq., 126, 147, 149, 168, 183, 187, 196 sq., 214. Cf. etiam ea, quae I. Vasold (Progr. Kön. Ludw. Gymnas. München 1897/98) exposuit, quocum in universum consentio.

sine dubio veneratorem Platonis cognoverat, ut apologiam scriberet magistri carissimi [1]), commendavit. Quam materiam tractandam sine dubio saepius proposuerat discipulis: proposuisse eum iterum iterumque commentationes discipulis suis satis apparet ex plurimis scriptis (cf. Helenae epilogum, Phil. 17 *ἕτεροι τοῦτο ποιοῦσι*, nimirum discipuli). Quapropter ab Isocrate ad *ἀπολογίαν Σωκράτους* componendam commotum esse Theodectem verisimile puto.

Ita Theodectes Platonem, Isocratem, Aristotelem nodo quodam coniungit. Sic ad finem huius quaestionis pervenimus. Ut antea in communibus adversariis impugnandis inter se quodammodo societatem iniisse Platonem et Isocratem cognovimus, ita nunc nobis persuasimus Platonis discipulos amicosque etiam Isocratis fuisse. Quare de inimicitiis vel simultatibus Isocratis et Platonis iam non cogitandum est. Quod recte cognovit Cyprianus [2]) (*τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους* p. 34 sq.) exponens argumentum amicitiae Isocratis Platonisque esse *ὅτι τινὲς τῶν μαθητῶν τοῦ Ἰσοκράτους .. ἐφοίτων καὶ παρὰ Πλάτωνι, ὅπερ δὲν θὰ ἐγίνετο, ἂν οἱ διδάσκαλοι ἤριζον καὶ ἀντηγωνίζοντο πρὸς ἀλλήλους.* Atque commemorat C. testimonium Diogenis Laertii [3]) III 8: *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος* (int. Plato) *καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.* Platonem et Isocratem in illo Praxiphanis dialogo amicos, qui in praedio Platonis [4]) de poetis colloquerentur, introductos esse nemo recentiorum vvdd. negavit. Sed in varias praeterea abierunt sententias vvdd. de illo dialogo, cui neque gravitatem neque vim tribuendam esse voluerunt. Velut Wilamowitzius Aristot. u. Ath. I 325: „Wenn Praxiphanes als Fiktion eines Dialoges einführen konnte, dass I. bei Pl. auf seinem Landgute am oberen Kephisos einkehrte, so kann das auf ihrem notorischen Verkehre in der Jugendzeit aufgebaut sein.“ Sed considerent lectores

1) Ps. Plut. p. 838 E *ἐλυπήθη δὲ καὶ οὐ μετρίως ἐπὶ τῷ Σωκράτους θανάτῳ καὶ μελανειμονῶν τῇ ὑστεραίᾳ προῆλθεν.* Cf. Blassii l. c. II 11; Schroederi Quaest. Isocrat. p. 1—41; cf. etiam Benseleri praefat. ad Isocr. operum translation. germanic. p. 23.

2) Cuius libellum maiore dignum puto aestimatione, quam quae solet de eo fieri.

3) Ad quod iam supra p. 25 delegavi.

4) C. Fr. Hermann, Plat. Philosoph. p. 80; L. Preller, Ausgewählte Aufsätze p. 103 sq.

Praxiphanem, Theophrasti amicum et aequalem, qui post Isocratis mortem floruit, fingere non potuisse Platonis et Isocratis amicitiam, si tunc eos adversarios fuisse notum fuisset. Neque cum Wilamowitzio de consuetudine iuvenum cogitare possum; nimirum si Praxiphanis temporibus omnes scivissent Platonem et Isocratem posterioribus annis inimicos fuisse acerbissimos, Pr. vix audere potuit amicos eos iuvenili aetate describere. Inde a Platonis Isocratisque iuventute usque ad Praxiphanem florentem plus 50 anni praeterierant. Atque Wil. ipse concessit (I 325 adnot.) familiaritatem Isocrati cum Platone annis 380—60 sine offensa intercedere potuisse. His annis ambo non iam iuvenes fuerunt. Quare Praxiphanis dialogi testimonium confirmare potest sententiam nostram.

Quid continuerit ille dialogus *περὶ ποιητῶν* inscriptus, nescimus. Fortasse ab Isocrate ipso Praxiphanes permotus erat (Panath. 34, Hirzel, Dialog I 310, 3), ut illam disputationem de poetis scriberet. Hirzelius autem, cum l. c. I 310, 4 adnotavit: „eine Kritik der griechischen Dichter vom moralischen Standpunkt aus kann es kaum gewesen sein, da über diesen Punkt Plato und Isokrates zu sehr übereinstimmten", me incitavit, ut in Platonis et Isocratis iudicia inquirerem de poetis facta.

Qua quaestione in aliam rem inducimur; nimirum etiam sententias, quas Plato et Isocrates communes habebant, componere studeamus.

c) Plato et Isocrates habebant communes sententias [1]).

Atque primum quid de poetis senserint, inquiramus.

1. De poetis.

Isocratem non magni aestimavisse poetas et artem eorum verba ipsius nobis demonstrant: Panath. 34: *περὶ μὲν οὖν τῶν ποιητῶν αὖθις ἐροῦμεν, ἢ μή με προανέλῃ τὸ γῆρας, ἢ περὶ*

1) Hieron. Wolf l. c. p. 663 sq.: 'illud existimare prudentius et candidius est Platonem, Socratem et Isocratem fuisse amicissimos, optimos et sapientissimos viros et in plerisque rebus simili fortuna usos. Ut igitur naturalis fuit animorum consensio, sic etiam cogitationes et orationes non dissimiles habuerunt. (Cogitat imprimis de antidosi et Platonis apologia.)

σπουδαιοτέρων πραγμάτων ἔχω τι λέγειν ἢ τούτων. Maioris momenti est dictum Euagorae 10 sq., ubi I. laudationem pedestrem multo difficiliorem esse quam poetarum exponens de vanitate operum poetarum sic iudicat: *ἢ . . . τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων τὰ μὲν ὀνόματα καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ, φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἣς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν* [1]). Item Plato Rep. X p. 601 B opera poetarum coloribus artis musicae nudata nihili aestimanda esse iudicat: *ἐπεὶ γυμνωθέντα γε τῶν τῆς μουσικῆς χρωμάτων τὰ τῶν ποιητῶν αὐτὰ ἐφ' αὑτῶν λεγόμενα, οἶμαί σε εἰδέναι οἷα φαίνεται* [2]). Atque fere eodem modo Gorg. p. 502 C: *εἴ τις περιέλοι τῆς ποιήσεως πάσης τό τε μέλος καὶ τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸ μέτρον, ἄλλο τι ἢ λόγοι γίγνονται τὸ λειπόμενον;* Atque similia sensisse Isocratem et Platonem de comoedia et tragoedia facile intelligere possumus.

Comoediam aeque contempsit Isocrates atque Plato, qui Apol. Socr. p. 19 B sq. contemptim loquitur de Aristophanis Nubibus Socratem per aera vagantem multasque nugas nugantem introducentibus (cf. etiam Apol. p. 18 D). Atque Phaed. 70 B Socrates simili modo detrectat de fama eorum, qui comoedias fecerint. Quos multandos esse vult Plato Legg. XI 935 E: *μηδαμῶς μηδένα τῶν πολιτῶν κωμῳδεῖν· ἐὰν δέ τις ἀπειθῇ, τοὺς ἀθλοθέτας ἐξείργειν ἐκ τῆς χώρας τὸ παράπαν αὐθημερόν, ἢ ζημιοῦσθαι μναῖς τρισὶν ἱεραῖς τοῦ θεοῦ, οὗ ἂν ὁ ἀγὼν ᾖ.* Quamquam homines comoedias visere utile putatur Legg. VII 816 D sqq.: *ἀνάγκη . . . θεάσασθαι καὶ γνωρίζειν· ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν μὲν οὐ δυνατόν, εἰ μέλλει τις φρόνιμος ἔσεσθαι.* Neque tamen liberos decere fabulam eiusmodi agere, *δούλοις δὲ τὰ τοιαῦτα καὶ ξένοις ἐμμίσθοις προστάττειν μιμεῖσθαι* (816 E). — Atque eodem modo atque Plato

1) Cf. ad sententiam Horat. sat. I 4, 47 sqq. de sermonibus suis sic iudicantem: 'nisi quod pede certo differt sermoni, sermo merus ... his ego quae nunc, olim quae scripsit Lucilius, eripias si tempora certa modosque et quod prius ordine verbum est posterius facias praeponens ultima primis' ...

2) Cf. Blassii l. c. II 48; sic iam Henkelius, Studien z. Gesch. d. griech. Lehre vom Staat (Lips. 1872) p. 153, 61.

queritur Isocrates ad Nicocl. 44, quod homines comoediam pravissimam audire malint quam sententias sapientium [1]).

Denique summo ardore in comoediarum scriptores invehitur, quod damna et detrimenta rei publicae per totam Graeciam divulgent, de pace 14: *δημοκρατίας οὔσης οὐκ ἔστι παῤῥησία πλὴν ἐνθένδε μὲν τοῖς ἀφρονεστάτοις καὶ μηδὲν ὑμῶν φροντίζουσιν, ἐν δὲ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις· ὃ πάντων ἐστὶ δεινότατον, ὅτι τοῖς μὲν ἐκφέρουσιν εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὰ τῆς πόλεως ἁμαρτήματα τοσαύτην ἔχετε χάριν, ὅσην οὐδὲ τοῖς εὖ ποιοῦσι…, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιπλήττοντας καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς …. δυσκόλως.* Cf. etiam Plat. Legg. III 700 A sqq., ubi theatrum tamquam omnium malorum rei publicae causam vituperatur, 701 A *ἀντὶ ἀριστοκρατίας … θεατροκρατία τις πονηρὰ γέγονεν.*

Homeri et tragicorum admiratione I. ob id ipsum imbutus est, quia illi poetae naturam hominum (i. e. pravitatem naturae hom.) recte intellexerint: ad Nicocl. 48 *κατιδόντες τὴν φύσιν τὴν τῶν ἀνθρώπων.* Quae verba recte interpretanda sunt. Nimirum tantum abest, ut illam *φύσιν* Isocrates probet, ut condemnet et vituperet. Neque ad verbum intelligendae sunt §§ 48 sq. velut S. Sudhaus (Rh. Mus. 44, 52—64) voluit affirmans Isocratem idem docere atque Calliclem in Platonis Gorgia [2]). Neque enim intellexit verba Isocratis § 49 per dissimulationem quandam esse dicta: *δέδεικται τοῖς ἐπιθυμοῦσι τοὺς ἀκροωμένους ψυχαγωγεῖν* (Is. ipse delectari auditores non vult, sed admoneri!), *ὅτι τοῦ μὲν νουθετεῖν καὶ συμβουλεύειν ἀφεκτέον* [3]),

1) Quas ut colligeret quispiam I. postulat: *εἴ τις ἐκλέξειε κτλ.*, quibus ex verbis vvdd. concludunt collectionem illam sententiarum, quam sub nomine Theognidis servatam habemus, tunc Isocratis ad Nicoclem scribentis temporibus nondum compositam fuisse. Theognidem magni aestimavisse Isocratem aeque atque ceteros Socraticos recte adnotavit Henkelius l. c. p. 153, 61.

2) Sic etiam Gotschlich, Ueber d. Veranlassung d. Platon. Dialogs Gorgias u. d. Polemik in demselben, Progr. Beuthen 1871. Cuius sententias parum confirmatas existimat H. Bonitz, Platonische Studien p. 19 adnot. 15.

3) Quomodo quispiam dixerit Isocratem serio illam rationem turpem studioque suo plane contrariam (Paneg. 3, ad Nic. 53, Bus. 50, de pace 14, Panath. 2 e. q. s.) commendavisse, non intelligo. Cf. Gerckium in praef. edit. Gorgiae [Sauppii] p. LIII, qui hac in re recte iudicavit.

τὰ δὲ τοιαῦτα λεκτέον, οἷς ὁρῶσι τοὺς ὄχλους μάλιστα χαίροντας. Quae verba si ad verbum interpretari vellemus, §§ 44, 45, 46 tollere cogeremur. Nimirum vituperat homines, quod delectari malint quam admoneri. § 45: *εὑρήσομεν τοὺς πολλοὺς αὐτῶν οὔτε τῶν σιτίων χαίροντας τοῖς ὑγιεινοτάτοις οὔτε τῶν ἐπιτηδευμάτων τοῖς καλλίστοις οὔτε τῶν πραγμάτων τοῖς βελτίστοις οὔτε τῶν θρεμμάτων τοῖς ὠφελιμωτάτοις, ἀλλὰ παντάπασιν ἐναντίας τῷ συμφέροντι τὰς ἡδονὰς ἔχοντας, … ὥστε πῶς ἄν τις τοῖς τοιούτοις ἢ παραινῶν ἢ διδάσκων ἢ χρήσιμόν τι λέγων ἀρέσειεν;* Qua opinione Isocrates [1]) prope ad Platonem accedit, cf. Gorg. 464 D (Duemmler I 98; Gercke ad Gorg. 504 E). Recte igitur impugnare censeo Duemmlerum [2]) l. c. I 82 Sudhausi sententiam. „Die Ueberzeugung, dass die grosse Menge . . . lieber das Angenehme als das Nützliche sieht, ist doch nichts Unsittliches (id quod Sudh. affirmaverat). Aus derselben Ueberzeugung verbannte Platon Epos und Tragödie aus seinem Staate.“ Atque profecto Isocrates et Plato hac in re consentiunt. Cf. Rep. II 377 D sqq. Honesto enim periculosas existimat fabulas poetarum de diis fictas. Atque quamquam concedit Plato (similiter atque Is. ad Nicocl. 48) Rep. III 387 B *οὐχ ὡς οὐ ποιητικὰ καὶ ἡδέα τοῖς πολλοῖς ἀκούειν* (eodem modo Isocr. ad Nic. 48 *κεχαρισμένον τοῖς πολλοῖς*), tamen expellenda esse talia carmina republica l. c.: *ἀλλ᾽ ὅσῳ ποιητικώτερα, τοσούτῳ ἧττον ἀκουστέον παισὶ καὶ ἀνδράσι, οὓς δεῖ ἐλευθέρους κτλ.* Cf. Rep. 378 A: *οὐδ᾽ ἂν … δεῖν ῥαδίως οὕτως λέγεσθαι πρὸς ἄφρονάς τε καὶ νέους* … 378 B *οὐ λεκτέοι … ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει.* Quapropter etiam proelia deorum, quae Homerus carminibus illustraverit, iuvenes legere dedecere 378 C: *ὁ γὰρ νέος οὐχ οἷός τε κρίνειν ὅτι τε ὑπόνοια καὶ ὃ μή, ἀλλ᾽ ἃ ἂν τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις δυσέκνιπτά τε καὶ ἀμετάστατα φιλεῖ γίγνεσθαι.* Atque Isocrates Polycratem vituperat Bus. 38: *οὐδέν σοι τῆς ἀληθείας ἐμέλησεν, ἀλλὰ τοῖς τῶν ποιητῶν βλασφημίαις ἐπηκολούθησας, οἳ δεινότερα μὲν πεποιηκότας καὶ πεπονθότας ἀποφαίνουσι τοὺς ἐκ τῶν ἀθανάτων γεγονότας ἢ τοὺς ἐκ τῶν ἀνθρώπων τῶν ἀνοσιωτάτων τοιούτους δὲ λόγους περὶ*

1) Redit sententia Isocratis de pace 109 *τοὺς πολλοὺς χαίροντας μὲν καὶ τῶν ἐδεσμάτων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τοῖς καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν βλάπτουσιν* e. q. s.

2) Quem falso referre puto Plat. Rep. IV 426 C—E ad Isocratem.

αὐτῶν τῶν θεῶν εἰρήκασιν, οἵους οὐδεὶς ἂν περὶ τῶν ἐχθρῶν εἰπεῖν τολμήσειεν· οὐ γὰρ μόνον κλοπὰς καὶ μοιχείας καὶ παρ' ἀνθρώποις θητείας αὐτοῖς ὠνείδισαν, ἀλλὰ καὶ παίδων βρώσεις[1]) *καὶ πατέρων ἐκτομὰς*[2]) *καὶ μητέρων δεσμοὺς*[3]) *καὶ πολλὰς ἄλλας ἀνομίας κατ' αὐτῶν ἐλογοποίησαν.* Quae verba etiam a Platone scribi potuerunt. Cf. etiam Isocr. Bus. 41 sqq. cum Plat. Rep. III 408 C (391 D): Blass II 42, 3[4]). Talem sententiarum communionem contribuisse aliquid ad amicitiam utriusque viri fovendam quid est verisimilius?

Neque parvi momenti sunt ea quae Bus. 39 sequuntur. Enumerat enim Isocrates poenas, quibus affecti sunt poetae: *οἱ μὲν αὐτῶν ἀλῆται καὶ ... ἐνδεεῖς κατέστησαν* (velut Hesiodus), *οἱ δ' ἐτυφλώθησαν*[5]), *ἄλλος δὲ φεύγων τὴν πατρίδα καὶ τοῖς οἰκειοτάτοις πολεμῶν ἅπαντα τὸν χρόνον διετέλεσεν* (Archilochus?), *Ὀρφεὺς ... διασπασθεὶς τὸν βίον διετέλεσεν.* Quae exempla Is. affert, ne aequales imitentur illorum fabulas neve negligant illam *παῤῥησίαν εἰς τοὺς θεοὺς* (§ 40), quam coerceri maioris esse momenti censet, quam lege sanciri, ne quid detrimenti civis a cive capiat.

---

1) Cf. Plat. Rep. II 377 E.

2) 378 A 378 B: *οὐδὲ λεκτέον νέῳ ἀκούοντι ὡς ἀδικῶν τὰ ἔσχατα οὐδὲν ἂν θαυμαστὸν ποιοῖ, οὐδ' αὖ ἀδικοῦντα πατέρα κολάζων παντὶ τρόπῳ, ἀλλὰ δρῴη ἂν ὅπερ θεῶν οἱ πρῶτοί τε καὶ μέγιστοι.* Cf. etiam Plat. Euthyphr. 6 B 8 B.

3) Cf. Plat. Rep. 378 D *Ἥρας ... δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος.* Quos locos Platonis Reipublicae I. in mente agitavisse mihi quidem videtur verisimile, quamquam concedo nihili referre de Xenophanis illis versibus cogitare:

πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος θ' Ἡσίοδος τε
κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

(Diels, Vorsokr. p. 53.)

Quos ad versus Isocratem spectavisse exposuit R. de Scala, Verhandlgn. d. 41. Philologenversammlung (Monach. 1891) imprimis p. 105 sqq. (Fleckeis. Jbb. 1891 p. 445 sqq.)

4) Quam similiter iudicaverint de 'pia fraude', intelligas ex Isocr. Bus. 24, Plat. Rep. II 376 E, Legg. II 663 D.

5) Cogitat (praeter Homerum) de Stesichoro, qui in Helenam contumeliose invectus oculis privatus est, cf. Hel. 64, ubi etiam Stesichori *παλινῳδίας* mentio fit. Etiam Plato Phaedr. 243 A B hac fabula usus est: *Στ. ... τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς ... οὐκ ἠγνόησεν ..., ἀλλ' ... ἔγνω τὴν αἰτίαν ... καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην Παλινῳδίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν.* Isocratis verba Hel. 64 fere eadem sunt. Fortasse ex Phaedro, quem libenter legisse I. videtur, sumpta sunt. (Cf. etiam Isocr. Phil. 25, epist. I 3 cum Plat. Phaedr. p. 275 E; Wilamowitz, Aristot. u. A. II 391.)

Isocrates hic eodem modo in poetas invehitur atque Plato, cf. Rep. II 383 C 391 E 408 C. Cf. etiam Legg. II 662 B sq., VII 817 B sqq.[1]). Quae exempla sufficiant. Satis enim demonstrant Isocratem his de rebus idem sensisse cum Platone.

Commemoretur obiter etiam Isocratem artem poetas interpretandi non magni aestimavisse (Panath. 18 sq.) aeque atque omnes Socraticos. Reminiscamur Niceratum in Xenophontis Conviv. cap. 3 illudi, quod Homeri interpretatione gloriatus sit; quam Socrates 4, 8 *δόξαν γελοίαν* nominat. Atque etiam Platonem in 'Ione' dialogo Homeri interpretes recitatoresque perstrinxisse satis notum est; quo dialogo Antisthenis studia Homerica illusisse Platonem Duemmlerus Antisthenic. p. 27—31 edocuit. Antisthenem autem et Platonis et Isocratis inimicum cognovimus veterum testimoniis nixi, quae nunc nostris quaestionibus confirmantur. Sic congruentia sententiarum, quas de poetis uterque habuit, maior est quam primo obtutu videbatur. Poetas vero rei publicae statui periculum afferre cognoverant et Isocrates et Plato. Quapropter nunc quaeritur, quid de re publica ipsa senserint. Atque etiam hic sententiae amborum se attingunt. Neque supervacaneum videbitur componere, quid de re publica senserint.

Isocrates et Plato habebant communes sententias

2. de republica.

Atque etiam in Isocratis civili opera iudicanda discrepuerunt inter se vvdd. neque Isocrati ea, quae debentur, tribuerunt. Velut Duemmlerus Kl. Schr. I 102: „er trieb am Schreibtisch Politik im grossen Stil", quale iudicium non hoc uno loco profert Duemmlerus, nam I 100 Areopagiticum nominat „eine frostige

---

1) Quomodo de censura quam vocare possumus cogitent cf. Isocr. Bus. 40 *φυλαξόμεθα καὶ νομιοῦμεν* cum Plat. Legg. 801 D *τὸν ποιητὴν παρὰ τὰ τῆς πόλεως νόμιμα καὶ δίκαια ἢ καλὰ ἢ ἀγαθὰ μηδὲν ποιεῖν ἄλλο, τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνύναι, πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς καὶ τοῖς νομοφύλαξι δειχθῇ καὶ ἀρέσῃ.* Odium tibiarum et tibicinarum Isocrati cum Platone commune erat Areop. 48, Antid. 287, cf. Plat. Rep. III 399 D, Theaetet. 173 D. Etiam Fr. Nietzsche, Jens. von Gut und Böse² (1891) p. 105 simili odio flagrans illudit, quod A. Schopenhauer tibiam inflet, quam rem dedecere illum acerbum praeceptorem morum. Sed haec obiter.

Moralpredigt" [1]). Quin etiam „banausische Scheinweisheit" Isocrati crimini datur (I 101). Quae sententia etiam Schaeferi [2]) est et multorum vvdd. recentiorum. Eam veritati plane contrariam esse nostra demum aetate perspexerunt Eduardus Meyer, cuius ad libri „Gesch. d. Altert." inscripti vol. V p. 337 relegaverim et Iulius Beloch [3]), qui vehementissime impugnat sententiam eorum, qui Isocratis prudentiam civilem [4]) iniuria negarunt. Atque idem etiam primus quanti momenti sit illa oratio (5) '*Φίλιππος*' inscripta ad Isocratis operam civilem recte iudicandam intellexit, cum II 371 eam „die politisch bedeutendste seiner Schriften" nominavit [5]).

Cuius orationis § 12 fere omnes, qui de Isocrate et Platone scripserunt, tamquam de inimicis inter se acerbissimis, ad confirmandam sententiam attulerunt. Hic Platonis opera praeclarissima '*Πολιτεία*' et '*Νόμοι*' inscripta pro nihilo habenda esse Isocratem censere, qua calumnia eum contumeliose vexasse Platonem iam mortuum [6]) iterum iterumque affirmaverunt. Velut iam Heindorfius (ad Plat. Euthyd. p. 413) ex illo loco clare apparere dixit de amicitia inter Isocratem et Platonem intercedente cogitari nequire. Contra quem Groen van Prinsterer [7]): 'locus quem H. attulit, mihi quidem non persuadet Platonem Isocrati primum quidem favisse, postea amicitiae inter ipsos nihil fuisse. Vituperat *τοὺς νόμους καὶ τὰς πολιτείας τὰς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμένας*, sed quis, quaeso, putet Isocratem Divina Platonis scripta ipsumque opus de Republica vituperavisse, et non servum

1) Similiter iam Niebuhr, Vorlesungen üb. a. Gesch. V 300.
2) Cf. Beloch, Griech. Gesch. II 532, adnot. 1 (exit.).
3) l. c. init.: „in der Regel gefallen sich die Neueren darin, Is. als Phantasten hinzustellen, der nach Idealen gestrebt habe, die in keiner Weise zu realisieren gewesen wären; dass Philipp und Alexander sie fast Punkt für Punkt verwirklicht haben, macht für diese Art Geschichtsbetrachtung keinen Unterschied." Lenschau in Burs. annal. 122, 3 (1904) p. 256; 124 (Suppl. 1905) p. 167.
4) Quam magni aestimandam esse censet Robertus Poehlmann, Grundr. d. griech. Gesch. p. 183.
5) Cuius vim etiam Wilamowitzius negligere videtur (Aristot. u. Athen II 398 Isocratis 'Philippum' praetermittit, quem Alexandrum ut Asiam expugnaret non minus permovisse censeo quam Homeri carmina).
6) Plato mortuus a. 347, Isocratis 'Philippus' editus est a. 346.
7) Prosopogr. Platonica (Lugd. Batav. 1823) p. 117.

potius scriptorum examen notare, quos credibile est, cognitis Platonis libris, in apertum campum, ut fit, involasse et laudem imitatione quaesivisse'. Neque tamen fidem sibi conciliavit. Et Heindorfi sententia redintegrata est a Spengelio (l. c. p. 757 sq.), Duemmlero (l. c. I 94), aliis. Sed inquiramus in illum locum. Atque primum verba *τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις* diligentius intuenda sunt, unde apparebit ea nequaquam solum ad Platonem referenda esse. Nimirum si dicitur *ὑπὸ τῶν σοφιστῶν* Plato tantummodo eo numero comprehendi potest neque necesse est de eo solo cogitari. Praeterea plurali numero admonemur etiam alios scripsisse *νόμους* et *πολιτείας;* velut Protagoram [1]), Critiam [2]), Hippodamum [3]). (Cf. etiam quos composuit Henkelius l. c. p. 2 sqq.) Atque eodem iure Isocr. Phil. 12 Antisthenes notatus esse potest, quippe quem *περὶ νόμου ἢ περὶ πολιτείας* scripsisse Diog. L. VI 1, 16 tradat. Atque etsi concedatur Platonem intelligi posse in eorum numero, quos sophistas nominet, tamen illum locum in contumeliam Platonis verti numquam concedam. Nimirum Is. § 12 exponit se, quamquam propter Panegyricum summis elatus sit laudibus (§ 11), tamen comperisse: *ὅτι τὸ . . . ἐν ταῖς πανηγύρεσιν ἐνοχλεῖν καὶ πρὸς ἅπαντας λέγειν τοὺς συντρέχοντας ἐν αὐταῖς πρὸς οὐδένα λέγειν ἐστίν, ἀλλ'*, pergit, *ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι* [4]) *τυγχάνουσιν*

1) Leloup, prolegg. in Isocr. Phil. (Moguntiae 1825) p. 33 sqq.
2) De quibus iam commemoravit Winckelmannus in praefat. ad Euthyd. p. XXXV.
3) Cuius libri '*περὶ πολιτείας*' fragmenta servavit Stobaeus II 98 sqq. (Meineke).
4) Is. intelligit sibi ad sententias suas efficiendas viro opus esse summae potentiae, quam Philippi esse credit: § 15 *σοὶ δὲ μόνῳ πολλὴν ἐξουσίαν ὑπὸ τῆς τύχης δεδομένην κτλ.* At dixerit quispiam Platonis in Republica *δικαιοσύνην* esse dominam neque tyrannum regnare. Sed etiam Platonem eadem voluntate ad Dionysium tyrannum se vertisse reputemus. Atque conferas quaeso cum hac Isocratis sententia Platonis senis in Legibus opinionem, in quibus concedit nimis magna se in Republica spectavisse, cf. Legg. V 739 CD. Atque idem intellexit nullo alio modo statum rei publicae melius posse corrigi quam principe vel duce: Rep. V 473 D; Legg. IV 711 B *οὐδὲν δεῖ πόνων . . . τῷ τυράννῳ μεταβαλεῖν πόλεως ἤθη, πορεύεσθαι δὲ αὐτὸν δεῖ πρῶτον ταύτῃ, ὅπῃ περ ἂν ἐθελήσῃ* . . . C: *μηδεὶς ἡμᾶς πειθέτω . . . ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε τοὺς νόμους ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ, μηδὲ νῦν γε ἄλλῃ γίγνεσθαι μηδ' αὖθίς ποτε γενήσεσθαι.*

ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις, quae verba hoc sibi volunt: orationes huiusmodi (i. e. Panegyrici in modum conscriptas) non minus esse irritas quam leges et respublicas a sophistis scriptas. Isocratem his verbis et sibi et iis, qui *νόμους* et *πολιτείας* scripserint, voluntatem non satis rectam imputare manifestum est. Quapropter calumnia hic locus caret. 'Odiosum esse non potest, quod civitates et leges sophistarum cum suis ipsius orationibus conferat'. (Leloup. l. c. p. 35). Quae omnia attuli, quia fere omnes vvdd. Isocratis operam civilem ex illo Philippi orationis loco iudicaverunt, quem tamen perperam interpretati sunt.

Quibus praemissis nonnulla alia exempla afferre liceat, quae demonstrant Isocratem nequaquam sprevisse rem publicam eiusque administrationem. Nimirum Bus. 32 Isocr., quoniam instituta et leges Aegyptiorum praedicavit se Busiridi nullo modo *ἀδύνατα* attribuisse declarat, sed *νόμους* et *πολιτείας, αἵπερ εἰσὶ πράξεις τῶν ἀνδρῶν τῶν καλῶν κἀγαθῶν*[1]). Hic

(cf. 735 D). Quibus verbis similia sunt, quae inter nostros philosophos Fichte pronuntiavit W. W. VII p. 558: „es ist daher allerdings, wenn einmal Recht sein soll, die Stelle des Fürsten die beste"; 561: „der Mensch muss zur Rechtsverfassung gezwungen werden." Das tut denn der vermeinte Grundherr, d. h. der Zwangsherr überhaupt (p. 564 similiter). Cf. etiam Isocr. ad Nicocl. 31, Nicocl. 37 (ad Demonic. 36). Atque etiam Isocrates Philippum principem intellexit idoneum ad consilia sua efficienda. Quapropter R. de Scala (Verhandlgn. d. 41. Philol.-Vers. p. 111) eum cum Macchiavellio confert, qui Laurentium Mediceum sententiis suis conciliare studebat. Isocratem etiam Nicoclem, Archidamum, Dionysium (Ep. 1) educare voluisse satis elucet ex scriptis suis neque tempus opportunum est explicare. Sed probe teneamus hoc quoque in studio principes educandi eum cum Platone consentire. Quid Isocrati Philippus, Platoni Dionysius fuit. cf. Poehlmann, Gesch. d. antik. Communism. u. Sozialism. I 480 sq. Isocrates gavisus est, quod Philippus philosophiae particeps esset Phil. 29: *φιλοσοφίας. ἧς καὶ σὲ μετεσχηκέναι φασίν.* Plato se Syracusis effecturum esse speravit ea quae Rep. VI 487 E pronuntiaverat: *οὐ πρότερον κακῶν παύσονται αἱ πόλεις πρὶν ἂν ἐν αὐταῖς οἱ φιλόσοφοι ἄρξωσιν.* Atque etiam Duemmlerus I 118 concessit: „ebenso folgt er (Is.) Platons Beispiel in dem Versuche Fürsten zu erziehen", quamquam in suam rem convertit haec vituperans: „Is.' Ehrgeiz geht dahin, Plato an politischer Wirksamkeit zu übertreffen (sic!), indem er nach Platos Vorgang . . . auf Monarchen Einfluss zu gewinnen sucht." Quod nimis quaesitum est.

1) Cf. etiam Areop. 14: *ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν. ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις.* (Iterum Panath. 138.)

summa veneratione Isocratem de legibus et re publica loqui manifestum est[1]). Busiridem autem demum post pacem Antalcidae (§ 19) esse scriptum verisimile est (cf. Ed. Meyer l. c. V p. 333). Quapropter Isocrates in Busiride Platonis Rempublicam respexisse probabile mihi quidem videtur. Quod agnoverunt praeter ceteros Teichmuellerus (Litt. Fehd. I 114 sq.) et Duemmlerus; quocum ego non consentio in interpretanda illa oratione. Etenim Kl. Schr. I 124: nebenbei, inquit, sucht er (Is.) die Grundgedanken des Platonischen Staates, einbegriffen die Bevorzugung der Mathematik als unoriginal (!), als durch Pythagoras Vermittlung von den Aegyptern entlehnt hinzustellen, eine *διαβολή*, wie sie tückischer kaum gedacht werden kann. *Διαβολήν*, quam D. in § 28 inserit, ego quidem tota oratione invenire nequeo, sed reverentiam Platonis, quem Bus. 17 honeste significatum esse crediderim[2]). Hic Is. Aegyptios praeter ceteros florere et artibus et institutionibus exponit addens: *ὥστε καὶ τῶν φιλοσόφων τοὺς ὑπὲρ τῶν τοιούτων* (sc. de rei publicae institutionibus e. q. s.) *λέγειν ἐπιχειροῦντας καὶ μάλιστ' εὐδοκιμοῦντας τὴν ἐν Αἰγύπτῳ προαιρεῖσθαι πολιτείαν*[3]) *καὶ Λακεδαιμονίους μέρος τι τῶν ἐκεῖθεν μιμουμένους ἄριστα διοικεῖν τὴν αὑτῶν πόλιν*[4]).

Atque Isocrati persuasum est civitates e summis malis recreatas exsurgere et erigere se *πολιτείᾳ χρηστῇ* (Archid. 48). Sed quamquam quanti momenti sit res publica bene instituta, non ignorat, tamen nimiam diligentiam minutamque subtilitatem legum inutilem putat; etiam in hac opinione cum Platone comparandus est. Cf. Is. Areop. 41: *δεῖ δὲ τοὺς ὀρθῶς πολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον*[5]). Et Paneg. 78 laudat maiores, quod crediderint: *ὅτι τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς τῶν ἀνθρώπων οὐδὲν δεήσει πολλῶν γραμμάτων, ἀλλ' ἀπ' ὀλίγων συνθημάτων ῥαδίως καὶ*

1) Busiridem Isocratis Platoni placere oportuisse edocet G. Thiele (Hermes 36, 256 sqq.).

2) Ed. Meyer l. c. V p. 332.

3) Cf. Plat. Legg. II 656 D sq., VII 819 A sq.; de Atlantidos imperio cognovisse Platonem a Solone, Solonem a sacerdotibus Sais Aegyptiacis satis notum est.

4) Beloch l. c. II p. 30 sqq., qui quid Lacedaemoniorum res publica in philosophorum rebus publicis componendis valuisset exposuit.

5) Hirzel, *Νόμος Ἄγραφος* (Abh. d. philol.-histor. Kl. d. sächs. Ges. d. W. XX) p. 51, 3.

περὶ τῶν ἰδίων καὶ περὶ τῶν κοινῶν ὁμονοήσουσιν. Sic etiam Plato *εὔηθες* existimat (i. e. stultum): *νομοθετεῖν σιγάς τε τῶν νεωτέρων παρὰ πρεσβυτέροις ἃς πρέπει καὶ κατακλίσεις καὶ ὑπαναστάσεις καὶ γονέων θεραπείας, καὶ κουράς γε καὶ ἀμπεχόνας καὶ ὑποδέσεις καὶ ὅλον τὸν τοῦ σώματος σχηματισμὸν καὶ τἆλλα ὅσα τοιαῦτα* (Rep. IV 425 B) et graviter pergit *οὔτε γάρ που γίγνεται οὔτ' ἂν μείνειεν λόγῳ τε καὶ γράμμασιν νομοθετηθέντα.* Cf. etiam 425 CD. Et Isocratis Paneg. 78 mihi in mentem venit Platonis verba respicienti Rep. 425 E *ἀλλ' οὐκ ἄξιον ... ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν· τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσιν.* Revocandum etiam sit ad Plat. Legg. p. 807 E *πολλὰ μὲν οὖν καὶ πυκνὰ καὶ σμικρὰ λέγων ἄν τις νομοθέτης ἀσχήμων φαίνοιτο περὶ τῶν κατ' οἰκίαν διοικήσεων, τά τε ἄλλα καὶ ὅσα νύκτωρ ἀϋπνίας πέρι πρέπει κτλ.* (cf. etiam Hirzel, *Νόμος ἄγραφος* p. 78, 3. 4).

Aeque autem atque Platoni etiam Isocrati iustitia summam in re publica vim habere videtur. Cf. Archid. 34, ubi vituperat eos, qui volunt *μηδὲ τὸ δίκαιον ... ἀλλὰ τὸ συμφέρον ζητεῖν* neque se posse adduci dicit, ut credat aliquid maioris momenti esse quam *τὸ δίκαιον.* 35: *ὁρῶ γὰρ καὶ τοὺς νόμους ἕνεκα τούτου κειμένους καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς καλούς τε κἀγαθοὺς ἐπὶ τούτῳ φιλοτιμουμένους καὶ τὰς εὖ πολιτευομένας πόλεις περὶ τούτου μάλιστα σπουδαζούσας, ἔτι δὲ τοὺς πολέμους τοὺς προγεγενημένους οὐ κατὰ τὰς δυνάμεις ἀλλὰ κατὰ τὸ δίκαιον τὸ τέλος ἅπαντας εἰληφότας, ὅλως δὲ τὸν βίον τὸν τῶν ἀνθρώπων διὰ μὲν κακίαν ἀπολλύμενον, δι' ἀρετὴν δὲ σωζόμενον.* (Cf. etiam 38.) 59: *ἐγὼ δὲ μεγίστην μὲν ἡγοῦμαι συμμαχίαν εἶναι καὶ βεβαιοτάτην τὸ τὰ δίκαια πράττειν.* Quae verba quamquam Archidamum loquentem facit, tamen Isocratis sunt [1]). Quantae ei curae fuerit vim et magnitudinem iustitiae demonstrare, praecipue intelligas ex illo loco orationis de pace [2]) 31 sqq., ubi edocet quanti

1) Atque perseveravit in hac sententia usque ad senectutem: cf. Panath. 185; credebat enim *ὡς οὐδὲν οὐθ' ὅσιον οὔτε καλόν ἐστι τῶν μὴ μετὰ δικαιοσύνης λεγομένων καὶ πραττομένων* (187).

2) De auctoritate illius libelli cf. ea quae exposuit Eduardus Meyer V p. 495 sq.: „Seine Friedensrede ist der Widerruf all der hohen Erwartungen, mit denen er 25 Jahre zuvor das Programm entwickelt hatte, das Athen und Hellas erfüllen sollten. Das einzig mögliche ist die Unterwerfung unter die bestehenden Zustände, ... der Verzicht auf die Macht und den Kampf um

momenti sit iustitia in re publica. Quas expositiones Platoni probari debuisse mihi persuasi. Sunt enim illi, in quos Isocrates invehitur, eidem quorum rationes Plato in Gorgia, Republica, alibi turpes existimat. Is. de pace 31: *εἰς τοῦτο γάρ τινες ἀνοίας ἐληλύθασιν, ὥσθ' ὑπειλήφασι τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιστον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ καὶ πρὸς τὸν βίον ... συμφέρουσαν, τὴν δὲ δικαιοσύνην εὐδόκιμον μέν, ἀλυσιτελῆ δὲ καὶ μᾶλλον δυναμένην τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν ἢ τοὺς ἔχοντας αὐτήν.* „Ungefähr sagt das Plato auch, nur mit ein wenig anderen Worten" iudicat Duemmlerus I 98 neque nos aliter iudicare possumus, nisi quod ille Margaretae Goethianae memor verbis obliquioribus usus videtur. Atque conferamus cum his Isocratis sententiis exempli causa Plat. Gorg. 474 C, ubi Polus interrogatus: *πότερον δοκεῖ σοι κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν ἢ τὸ ἀδικεῖσθαι;* respondet *τὸ ἀδικεῖσθαι ἔμοιγε.* (Cf. Gerckium ad [Sauppii] Plat. Gorg. 474 C.) Poli autem rationes a Platone vituperari satis constat. Sic etiam in re publica iustitiam omnium rerum principium esse oportere et Isocrati et Platoni persuasum est. Is. de pace 69: *οὐ δίκαιον τοὺς κρείττους τῶν ἡττόνων ἄρχειν* [1]), quae verba sic interpretanda sunt: turpe est in re publica ius in viribus habere. Item Plato iudicavit, qui Gorg. 483 D Calliclem hanc turpem causam defendentem facit. Verba Calliclis sunt haec: *δηλοῖ δὲ ταῦτα πολλαχοῦ ὅτι οὕτως ἔχει, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ τῶν ἀνθρώπων ἐν ὅλαις ταῖς πόλεσι καὶ τοῖς γένεσιν, ὅτι οὕτω τὸ δίκαιον κέκριται, τὸν κρείττω τοῦ ἥττονος ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν.* Cf. etiam Hippiae sententias Plat. Protag. 337 D, Thrasymachi Rep. I 338 C, quas rationes Platonem totam per vitam impugnavisse [2]) quis est qui nesciat? Vim suam inesse in boni natura ac virtutibus eamque

die Macht ... niemals hat Is. in seinen politischen Anschauungen Platon so nahe gestanden wie hier" (i. e. a. 355, quo anno libellus editus est: Oncken, Isokr. u. Athen p. 111 sq.; Iudeich, Kleinasiat. Studien p. 291).

1) Quin etiam Henkelius l. c. quamquam minoris quam par est Isocratis operam aestimat, tamen p. 161: „aber ein Verdienst", inquit, „wird ihm zugestanden werden müssen, dass er die Bedeutung des ethischen Momentes für das Staatsleben erkannt und mit redlichem Eifer verfochten hat." Cf. etiam Schroederi Quaestion. Isocr. p. 40.

2) Henkel l. c. p. 158, 76, qui ad Plat. Rep. I 343 B sqq. et Alcib. I 113 D delegat. Qua de re videas etiam Poehlmanni expositiones optimas l. c. I 146 sqq.

victoriam sibi aliquando paraturam utriusque spes erat firma et Isocratis et Platonis. Eam Isocratem Platonis laude atque amicitia dignum reddidisse affirmare non dubito [1]).

At dixerit quispiam Isocratem de pace 31 sqq. non Platonis divinis rationibus sufficere, sed utilitatis causa iustitiam exercendam sine dubio docere. Atque profecto § 32 sq. propter commoda, quae praebet, Isocrates iustitiam commendat: οἱ τῆς αὑτῶν διανοίας ἀμελοῦντες λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῦ τε φρονεῖν ἄμεινον καὶ τοῦ πράττειν βέλτιον ὀλιγωροῦντες. Atque paulo ante declarat: ὡς οὔτε πρὸς χρηματισμὸν οὔτε πρὸς δόξαν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν οὔθ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν, ὅσην περ ἀρετή κτλ. Deinde 34: τοὺς μετ' εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ζῶντας ἔν τε τοῖς παροῦσι χρόνοις ἀσφαλῶς διάγοντας καὶ περὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχοντας. Quae verba non temere interpretanda sunt, quasi vero hae sententiae Platoni contrariae sint. Nimirum etiam Plato commodum et praemium praebere viro iusto virtutem sibi persuasit, neque Spinozae illud: 'beatitudo non praemium virtutis, sed ipsa virtus' probavit [2]). Conferas quaeso Rep. X 613 A, 614 A sqq., imprimis exitum Reipublicae 621 C. Apol. 30 B Socrates haec: 'οὐκ ἐκ χρημάτων', inquit, 'ἀρετὴ γίγνεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς χρήματα [3]) καὶ τὰ ἄλλα ἀγαθὰ τοῖς ἀνθρώποις ἅπαντα καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ', quibus cum verbis cf. Isocr. de pace 32: τοῖς γὰρ ἀγαθοῖς οἷς ἔχομεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτήμεθα καὶ τὰς ἄλλας ὠφελείας ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν. Atque etiam post hanc vitam (Isocr. de pace 34 περὶ ... σύμπαντος αἰῶνος) bonis beatam sortem esse paratam [4]) Socratis morientis fuit spes pulcherrima, cf. Phaed. 115 D. Neque Isocrati crimini tribuendum est, quod vitam honestam eodem tempore iucundam esse affirmat; eiusmodi sententiam etiam apud Platonem invenias: Phileb. 21 E, 52 B; Rep. IX 582 BC,

1) Quapropter non possum satis admirari Gotschlichii (Pr. Beuthen 1871) sententiam, qui sub Calliclis in Gorgia persona Isocratem carpi affirmabat. Cf. Isocr. Nicocl. 34, 43, 50, de pace 93 (ad Demonic. 38). Similiter atque Gotschl. etiam Sigofredus Sudhaus (Rh. Mus. 44, 58), contra quem Duemmlerus l. c. I 80 sqq.

2) Poehlmann, Comm. u. Soz. I 383 sqq. Cf. etiam Joël, Der echte und der xenophont. Sokrates p. 435.

3) Cf. Isocr. de pace 32 init.

4) Cf. etiam Gorg. p. 523 A sqq.; Plat. Legg. V 732 D.

585 E, 586 E: τῷ φιλοσόφῳ ἄρα ἑπομένης ἁπάσης τῆς ψυχῆς καὶ μὴ στασιαζούσης ἑκάστῳ τῷ μέρει ὑπάρχει, εἴς τε τἆλλα τὰ ἑαυτοῦ πράττειν καὶ δικαίῳ εἶναι, καὶ δὴ καὶ τὰς ἡδονὰς τὰς ἑαυτοῦ ἕκαστον καὶ τὰς βελτίστας καὶ εἰς τὸ δυνατὸν τὰς ἀληθεστάτας καρποῦσθαι. Et Legg. II 663 D vitam turpem etiam minus iucundam quam honestam esse censendam concedit.

Pariter autem atque iustitia praemium praebet ei, qui iustitiam colit, iniuria poena non caret. Quod non solum in vita privata fieri, sed etiam in re publica Isocrates intellexit neque minus Plato. Ex hac sententia etiam declaratur id, quod ambo Atheniensium de maritimo imperio et principatu contentionem vituperant, quam omnium malorum rei publicae causam esse affirmant. Isocr. de pace 64: ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι καὶ τὴν πόλιν ἡμᾶς ἄμεινον οἰκήσειν καὶ βελτίους αὐτοὺς ἔσεσθαι καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς πράξεις ἐπιδώσειν, ἢν παυσώμεθα τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλατταν ἐπιθυμοῦντες, quam non solum seditiones movisse affirmat, sed etiam delevisse illam δημοκρατίαν, qua maiores felicissimi Graecorum fuissent: καὶ σχεδὸν ἁπάντων αἰτία τῶν κακῶν ὧν αὐτοί τ' ἔχομεν καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχομεν [1]). Quapropter etiam Lacedaemoniorum rei publicae calamitatis causam fuisse putat imperium maritimum, cf. 95 sqq., 101: ὥστε πολὺ ἂν τις ἀληθέστερα τυγχάνοι λέγων, εἰ φαίη τότε τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς γεγενῆσθαι τῶν συμφορῶν, ὅτε τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης παρελάμβανον. (Redit sententia Phil. 61.) Huic imperio renuntiari oportere. Neque aliter cogitavit Plato [2]), qui Legg. IV 704 B postulat, ut urbs vel civitas instituenda 80 stadia absit a mari, veritus ne vicinia portuum cives corrumpantur [3]). 705 A: πρόσοικος γὰρ θάλαττα χώρᾳ τὸ μὲν παρ' ἑκάστην ἡμέραν ἡδύ, μάλα γε μὴν ὄντως ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν γειτόνημα· ἐμπορίας [4]) γὰρ καὶ χρηματισμοῦ διὰ καπηλείας (cf. ad hoc Isocr. Areop. 49) ἐμπιπλᾶσα αὐτήν,

1) § 115 imperium maritimum confert cum tyrannide (τὴν [sc. ἀρχὴν] οὐδὲν οὔτε τοῖς πάθεσιν οὔτε ταῖς πράξεσι τῶν μοναρχιῶν διαφέρουσαν).

2) Windelband, Platon p. 171.

3) Qua de re nos admonuit Eduardus Meyer in scholis suis. Ab Isocrate Megarenses praedicantur οὐκ ἔχοντες οὐδὲ λιμένας οὐδ' ἀργυρεῖα (de pace 116).

4) Cf. Isocr. ad Demonic. (qui libellus num Isocratis sit, disceptare nolo) 19: αἰσχρὸν ... τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν αὑτῶν διάνοιαν.

ἤθη παλίμβολα καὶ ἄπιστα ταῖς ψυχαῖς ἐντίκτουσα, αὐτήν τε πρὸς αὐτὴν τὴν πόλιν ἄπιστον καὶ ἄφιλον ποιεῖ [1]) *καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὡσαύτως.* Atque delegare licet eo, quod Platonis Atlantici illi superbi [2]) in 'Critia' descripti, quamquam viribus divitiisque superiores videntur, tamen — opibus maritimis usi — ab autochthonibus (i. e. incolis veterum Athenarum), quippe qui agriculturae studeant, vincuntur. Imperium maritimum contempserunt Isocrates et Plato, posterioribus quidem annis (Isocr. de pace, Phil.; Plato Legg., Tim., Critias); nimirum antea aliter senserunt. Quae res certe summi momenti est. Conferas quaeso Isocr. Paneg. 19 sqq., ubi ius principatus maritimi Atheniensium defendit atque gloriam bellorum navalium ab Atheniensibus gestorum laudat atque praedicat (§ 21). Quam sententiam mutavit I. statu rei publicae commotus. Nimirum, ut renuntiarent Athenienses imperio maritimo, a. 355 (or. de pace) commendavit. Item Plato, qui prioribus annis aeque atque I. in re publica sua navigare necesse esse sine dubio edocuit, Rep. II 371 A [3]) *καὶ ἐμπόρων δεησόμεθα ... καὶ ἐὰν μὲν ... κατὰ θάλατταν ἡ ἐμπορία γίγνηται, συχνῶν καὶ ἄλλων προσδεήσεται τῶν ἐπιστημόνων τῆς περὶ τὴν θάλατταν ἐργασίας* [4]). In Legibus, quas paulo ante mortem scripsit, hanc sententiam omisit, cf. etiam 706 B sqq., ubi de pugna Salaminia loquitur, quam Graecos meliores non reddidisse affirmat; etiam propter hanc mutatam sententiam cum Isocrate comparandus est. Quam rem

1) Ne in divites et pauperes dividatur res publica Isocrates et Plato postulant. Intelligas ex iis, quae Is. Archid. 67 sq., Phil. 52 exponit. Cf. Plat. Rep. 422 E sq. (Poehlmann, Grdr. d. griech. Gesch. p. 170), 485 D sq., 421 C sqq., alios locos. Quod miseria impar sit luxuriae, Isocr. queritur Areop. 54, alias Athenarum veterum res fuisse Areop. 31. 32 disserens. Cf. etiam Plat. Legg. V 737 A, VIII 831 C D (Poehlmann, Comm. u. Soz. I 197 sq.). Turpe liberis divitias relinquere; cf. ad Nicocl. 32 cum Plat. Legg. V 729 A.

2) In quorum re publica Plato Athenienses suae aetatis depinxit. Hirzel, Ueber das Rhetor. u. s. Bedeutg. bei Platon (Lips. 1871) p. 73; idem, '*Νόμος ἄγραφος*' p. 78; Poehlmann, Comm. u. Soz. II 34 sqq., imprimis p. 41. Cf. etiam Windelband, Platon p. 152 sq.

3) Iam Hirzelium (*Νόμος ἄγραφος* p. 77, 4) de his locis monuisse posterius vidi.

4) Cum descriptione illa Platonis *πόλεως φλεγμαινούσης* (Rep. II 373 sqq.) cf. Isocr. Paneg. 40 sqq., Xenoph. de vectigalib. V 3 sqq., quam ad rem Eduardus Meyer in scholis suis nos advertit.

et ipsam non satis convenire simultati, quam intercessisse Isocrati cum Platone recentiores vvdd. volunt, in propatulo est.

Neque aliter explicari debet illa mutatio sententiarum nisi ex eo, quod et Isocrati et Platoni status rei publicae (circa a. 355) illius temporis displicuit. Quapropter indignati rettulerunt animos in praeteritum tempus, quod optimum perfectissimumque fuisse putabant. Et Athenarum veterum desiderium eos cepit, quas iterum iterumque praedicaverunt [1]): nimirum populi potentia illa immoderata Athenae veteres caruerunt. Cf. Isocr. de pace 64, 75 sqq. Areopagitico [2]) autem maxime desiderio Solonis et Clisthenis rei publicae captus est, cuius imaginem quam pulcherrimam delineare studet. Areop. 6: *ἡμεῖς τε γὰρ ἀναστάτου μὲν τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν βαρβάρων γεγενημένης διὰ τὸ δεδιέναι καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς πράγμασιν ἐπρωτεύσαμεν τῶν Ἑλλήνων.* 16: *εὑρίσκω ... ταύτην μόνην ἂν γενομένην καὶ τῶν μελλόντων κινδύνων ἀποτροπὴν καὶ τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν, ἢν ἐθελήσωμεν ἐκείνην τὴν δημοκρατίαν ἀναλαβεῖν, ἣν Σόλων μὲν ὁ δημοτικώτατος* (cf. etiam § 59) *ἐνομοθέτησε, Κλεισθένης δ' ὁ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν* [3]). Quam laudationem veterum Athenarum rei publicae etiam apud Platonem invenimus, qui Legg. III 698 sqq. fere eadem exposuit de illius temporis beatitudine atque Isocrates. Nimirum illis temporibus, *ὅτε ἡ Περσῶν ἐπίθεσις τοῖς Ἕλλησιν ... ἐγίγνετο, πολιτεία τε ἦν παλαιὰ καὶ ἐκ τιμημάτων ἀρχαί τινες τεττάρων, καὶ δεσπότις ἐνῆν τις αἰδώς.* (698 B). Hostium autem timore cives esse impeditos, ne seditiones commoverent. (698 C sqq., 699 C, cf. etiam Isocr. Paneg. 75 sqq.). Qua institutione cives educatos esse non ita, ut putarent Isocr. Areop. 20 *τὴν μὲν ἀκολασίαν δημοκρατίαν, τὴν δὲ*

1) Hirzel, *Νόμος ἄγραφος* p. 75.

2) Videas quaeso, quid de huius orationis vi etiam Duemmlerus concesserit, Kl. Schr. I 99: „die Form ist isokratisch, aber was an Gedanken gut ist, stammt von Platon.“ Delegentur lectores etiam ad praefationem Areopagitici, quam scripsit Rauchenstein.

3) Similiter Antid. 232. 306; cf. etiam Panath. 148. Atque iam or. 16 *περὶ τοῦ ζεύγους* 27 — quam Platoni placuisse supra exposuimus — Clisthenis laudat *δημοκρατίαν, ἐξ ἧς οἱ πολῖται πρὸς μὲν ἀνδρίαν οὕτως ἐπαιδεύθησαν ὥστε τοὺς βαρβάρους τοὺς ἐπὶ πᾶσαν ἐλθόντας τὴν Ἑλλάδα μόνοι νικᾶν μαχόμενοι, περὶ δὲ δικαιοσύνης κτλ.* Blass II 83.

παρονομίαν ἐλευθερίαν, τὴν δὲ παῤῥησίαν ἰσονομίαν, τὴν δὲ ἐξουσίαν τοῦ ταῦτα ποιεῖν εὐδαιμονίαν[1]), sed ut meliores potioresque fierent. Fere eadem apud Platonem legimus[2]), qui Rep. VIII 560 D invehitur in illos populares adulescentis animum corrumpentes: nimirum *τὴν μὲν αἰδῶ ἠλιθιότητα ὀνομάζοντες..., σωφροσύνην δὲ ἀνανδρίαν καλοῦντες..., μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν κτλ.* Deinde quoniam vacuam reddiderint animam eius, quem corrumpentes sibi suisque sententiis conciliare studeant, vitiis eam eosdem complere: nimirum *ὕβριν μὲν εὐπαιδευσίαν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν δὲ μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δὲ ἀνδρείαν.* Neque id praetermittendum est, quod Isocrates pariter atque Plato eadem de causa illum statum rei publicae probandum esse censebat. Ambo enim postulant, ne respublica fines libertatis et aequitatis transgrediatur. Duplicem autem esse illam aequitatem et *τῆς μὲν ταὐτὸν ἅπασιν ἀπονεμούσης, τῆς δὲ τὸ προσῆκον ἑκάστοις*[3]) contempsisse illos veteres *τὴν τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαν τοὺς χρηστοὺς καὶ τοὺς πονηρούς... ὡς οὐ δικαίαν οὖσαν*, praetulisse *τὴν κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν.* (Areop. 21.) Item Plato suum cuique in re publica tribui oportere intellexit. Legg. VI 757 B *δυοῖν γὰρ ἰσοτήτοιν οὔσαιν, ὁμωνύμοιν μέν, ἔργῳ δὲ εἰς πολλὰ σχεδὸν ἐναντίαιν, τὴν μὲν ἑτέραν εἰς τὰς τιμὰς πᾶσα πόλις ἱκανὴ παραγαγεῖν καὶ πᾶς νομοθέτης, τὴν μέτρῳ ἴσην καὶ σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, κλήρῳ*[4]) *ἀπευθύνων εἰς τὰς διανομὰς αὐτήν· τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκέτι ῥάδιον παντὶ ἰδεῖν...* C: *τῷ μὲν γὰρ μείζονι πλείω, τῷ δὲ ἐλάττονι σμικρότερα νέμει, μέτρια διδοῦσα πρὸς τὴν αὐτῶν φύσιν ἑκατέρῳ, καὶ δὴ καὶ τιμὰς μείζοσι μὲν πρὸς ἀρετὴν ἀεὶ μείζους, τοῖς δὲ τοὐναντίον ἔχουσιν ἀρετῆς τε καὶ παιδείας τὸ πρέπον*[5]) *ἑκατέροις ἀπονέμει κατὰ λόγον.* Qualem *ἰσότητα* in re publica condenda Plato effici vult. A quibus sententiis Isocratis cogitationes vix distare iam Blassius II 83 adnotavit. Conferas etiam quid Plato de aequitate disseruerit Gorg. 508 A, Rep. VIII 558 C (Henkel l. c. p. 154). Explicantur autem multae similitudines ex eo, quod vi et auctoritate iustitiae freti rempublicam corrigere studebant. Quapropter non mirum est, quod et Isocrates et Plato eam speciem rerum publicarum maxime oderunt, quae iustitia maxime caret, tyrannidem.

1) Iterum sententiam illam invenies Panath. 131.

2) Quam similitudinem vel Duemmlerus negare nequiit (I 96).

3) Suum cuique: cf. Cic. Legg. 1 6, 19 (Vahlen): eam rem (sc. legem) illi Graeco putant nomine a [sic recte Turnebus, Vahlenus] suum cuique tribuendo (*νόμος, νέμειν*; Isocrates nostro loco *ἀπονέμειν*).

4) Isocr. Areop. 22 sq. vituperat, quod sortiendo magistratus creentur fere eodem modo atque Socrates apud Xenophontem Memorab. I 2, 9 (cf. Beloch, Griech. Gesch. II 29; Windelband, Platon p. 17).

5) Cf. Isocr. Areop. 21: *τὸ προσῆκον.*

Neque fugit viros doctos Isocratem incommoda periculaque tyrannorum depingentem (de pace 111 sqq.) Socraticorum in modum iudicavisse. Velut Ernestum Richter, qui in libello „Xenophonstudien" inscripto[1]) Isocratis cogitationes (de pace 111 sqq.) artissima necessitudine attingere ea quae in Xenophonteo Hierone exponuntur affirmavit. Quae similitudo (cf. imprimis Xenoph. Hier. VI 3—5) negari nequit. Neque tamen cum Richtero consentio hac in re, quod ex similitudine sententiarum de tempore conscriptionis coniecturam fecit. Nimirum Hieronem post Isocratis orationem de pace conscriptam statui voluit. Mihi vero secus videtur. Similiter enim iudicavit Isocrates iam Hel. 32—34, ubi Theseum laudat, quod tyrannorum vitam reformidaverit, 34: *τί γάρ ἐστιν ἄλγιον ἢ ζῆν ἀεὶ δεδιότα, μή τις αὐτὸν τῶν παρεστώτων ἀποκτείνῃ, καὶ μηδὲν ἧττον φοβούμενον τοὺς φυλάττοντας ἢ τοὺς ἐπιβουλεύοντας;* Eadem verba de pace 112 redeunt; sine dubio enim multo ante orationem de pace conscriptam composuit I. Helenam. Eodem iure dixerit Richter post Helenam Hieronem esse ponendum. Atque profecto iam Adolfus Henricus Christian in translatione Isocratis operum Germanica[2]) ad Hel. 32 sqq. adnotavit similes cogitationes in Xenophontis Hierone inveniri. Sed etiam ex hoc loco de tempore quo Hiero scriptus sit coniecturam facere non licet. Apud Isocratem enim saepius redeunt tales sententiae, cf. ad Nicocl. 4 sq., epist. VI 11 sqq. Quin etiam Phil. 108 (i. e. a. 346) repetit ea, quae iam de pace 113 legimus (cf. *ἐξ ἀνθρώπων ἠφανισμένον*). Itaque irritum est consilium eorum, qui hac quidem ratione de Hieronis conscriptione aliquid enucleare student. Id

1) Jbb. f. Philol. (1893) p. 146 sqq.

2) Stuttgart 1835.

solum reputandum est Isocratem mala et pericula vitae tyrannorum describentem non multum abesse a sententiis, quas disseruerit Xenophon in Hierone; qua in re tractanda ambo Socratis videntur discipuli. Neque omittam etiam apud Platonem talia inveniri. Amicis enim caret tyrannus: Rep. IV 576 A, cf. Isocrat. de pace 112. Rep. VIII 579 B: *ὁ τύραννος ... πολλῶν καὶ παντοδαπῶν φόβων καὶ ἐρώτων μεστός.* 579 D: *τῷ ὄντι δοῦλος κτλ.*, cf. Isocr. Hel. 32. Aufert deorum sacra Rep. 568 D, 574 D, quibus cum locis cf. Isocr. Hel. 33. Sic descriptio quoque tyranni tamquam infelicissimi (Rep. 580 A) hominis aliquid contulisse existimanda est ad eam sententiarum et consiliorum congruentiam, unde non quae vulgo fertur inimicitia, sed amicitia potius Isocratis et Platonis efflorescere potuerit.

Denique ne omittamus Isocratem a re publica administranda similiter abhorruisse atque Platonem, quippe quem forum odisse satis constet. Cf. Isocr. Antid. 151: *τὴν ἡσυχίαν καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην*[1] *ἀγαπῶν ... τῶν λημμάτων τῶν παρὰ τῆς πόλεως ἀπεσχόμην.* Antid. 38: *ἐμὲ δ᾽ οὐδεὶς πώποθ᾽ ἑώρακεν οὔτ᾽ ἐν τοῖς συνεδρίοις οὔτε περὶ τὰς ἀνακρίσεις οὔτ᾽ ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις*[2] *οὔτε πρὸς ταῖς διαιτηταῖς, ἀλλ᾽ οὕτως ἀπέχομαι τούτων ἁπάντων, ὡς οὐδεὶς ἄλλος τῶν πολιτῶν* (cf. 147 sq.). Atque Philippo scribit § 81: *ἐγὼ ... πρὸς ... τὸ πολιτεύεσθαι πάντων ἀφυέστατος ἐγενόμην τῶν πολιτῶν, οὔτε γὰρ φωνὴν ἔσχον ἱκανὴν*[3] *οὔτε τόλμαν δυναμένην ὄχλῳ χρῆσθαι καὶ μολύνεσθαι* (cf. Phil. 12) *καὶ λοιδορεῖσθαι τοῖς ἐπὶ τοῦ βήματος κυλινδουμένοις*[4]. Quid mirum quod praedicat maiores (Areop. 48), qui *οὕτω ἔφευγον τὴν ἀγοράν, ὥστε εἰ καί ποτε διελθεῖν ἀναγκασθεῖεν, μετὰ πολλῆς αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης ἐφαίνοντο τοῦτο ποιοῦντες,*

---

1) De pace 58 *ὅσῳ κρεῖττόν ἐστι τὸ σωφρονεῖν τοῦ πολυπραγμονεῖν.* Pausan. I 18, 8; Blass. II 75.

2) Similiter Antid. 144; cf. Plat. Apol. 17 D, ubi Socrates: *νῦν ἐγὼ πρῶτον*, inquit, *ἐπὶ δικαστήριον ἀναβέβηκα.* Cf. etiam 31 C.

3) Plato Rep. VI 496 C Theagem philosophiae esse deditum narrat, quia *νοσοτροφία* eum impediret, ne in publicum prodiret. Cf. Schleiermacheri ad hunc locum adnotat. 162 in: Philos. Biblioth. (Lips. 1901) vol. 80 p. 203.

4) Similiter iam epist. I 9 Isocrates ad Dionysium tyrannum scripserat (Phil. 81 *ἅπερ ἐπέστειλα καὶ πρὸς Διόνυσον τὸν τὴν τυραννίδα κτησάμενον*; quibus verbis demonstrari puto Isocratis esse illam epistulam). Cf. etiam Panath. 10 sq., epist. VIII 7, ubi sententias eiusmodi invenies.

qua sententia de Platonis Theaeteti p. 173 C sqq. admonemur, ubi optimi philosophi laudantur, qui *ἐκ νέων πρῶτον μὲν εἰς ἀγορὰν οὐκ ἴσασι τὴν ὁδόν, οὐδὲ ὅπου δικαστήριον ἢ βουλευτήριον ἤ τι κοινὸν ἄλλο τῆς πόλεως συνέδριον.* Quantopere oderit Plato vitam publicam, apparet ex illo loco Reipublicae (VI 496 C sqq.), ubi Socrates se a re publica administranda abhorruisse concedens, quia *τὸ δαιμόνιον σημεῖον* obstitisset, vitam philosophi describit his verbis sane grandibus 496 D: *ἡσυχίαν ἔχων καὶ τὰ αὑτοῦ πράττων, οἷον ἐν χειμῶνι κονιορτοῦ καὶ ζάλης ὑπὸ πνεύματος φερομένου ὑπὸ τειχίον ὑποστάς, ὁρῶν τοὺς ἄλλους καταπιμπλαμένους ἀνομίας, ἀγαπᾷ εἴ πῃ αὐτὸς καθαρὸς ἀδικίας τε καὶ ἀνοσίων ἔργων τόν τε ἐνθάδε βίον βιώσεται καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν αὐτοῦ μετὰ καλῆς ἐλπίδος ἵλεώς τε καὶ εὐμενὴς ἀπαλλάξεται.*

Oderant ambo profanum vulgus et arcuerunt remotique ab omnibus negotiis publicis suis uterque litteris studebant. Atque maximam quamquam degebant partem vitae Athenis et Isocrates et Plato, tamen per discipulos, quibus familiariter utebantur, totam per Graeciam plurimum potuerunt, magisque per orientalem eius quam per occidentalem partem (Blass II 61), ita tamen, ut etiam gloriam augerent Athenarum, quas turbulentis in civitate tempestatibus iactatas esse illis temporibus abunde notum est.

Aequales viros atque tantos inter se comparare neque inutile fuit neque supervacaneum. Haec erat etiam Spengelii sententia, cum initio commentationis suae haec diceret: „haben sich die Schriften zweier solcher Männer in genügender Anzahl erhalten, in welcher sich ihre ganze Richtung und Tätigkeit lebendig ausprägt, so dass das Bild des einen wie des andern vollständig klar vorliegt, dann ist es kein eitler und fruchtloser, sondern selbst notwendiger Versuch, sie einander gegenüberzustellen und zu vergleichen.“ Sed ad alium perveni exitum atque Spengelius: simultatem enim intercessisse Isocrati cum Platone pernego.

Atque satis, quod erat propositum, demonstrasse videor. Nam postquam perperam a Spengelio ad Isocratem relatum esse illum Euthydemi locum cognovimus, Isocratem Platonis laude (Phaedr. 278 E sqq.) et amicitia (Diog. L. III 8) dignum fuisse etiam ex eo perspeximus, quod communes habebant Isocrates et Plato adversarios, ami-

cos, sententias. Qualem congruentiam non satis convenire simultati, quam affirmaverint recentiores vvdd., manifestum est. Neque utriusque amicitia tollitur discrimine ingeniorum, quo factum est, ut Platonis quidem immortalis gloria per omnia floreat saecula, Isocratis fama summa ac celebritas artioribus contineantur antiquitatis finibus.

Dum hic libellus prelo subicitur, in manus mihi venit commentatio Henrici Gomperz „Isokrates und die Sokratik“ inscripta (Wiener Studien XXVII fascicul. 2, edit. 10. II. 1906), cuius libelli nondum finiti rationem habere nequii.

ARGVMENTVM.

pag.

A) Exordium: Spengelii quaestio (Monach. 1855) fundamentum fere omnium commentationum recentiorum vvdd., quorum sententiae plane contrariae sunt Platonis iudicio Phaedr. p. 278 E sqq. 5—7

B) Tractatio: Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone . 8—73

Pars I: Num Isocrates a Platone Euthyd. p. 304 D sqq. impugnatus sit . . . . 8—25

a) de Phaedri et Euthydemi temporibus 8—15
Spengel p. 8. Usener p. 9. Immisch-Gomperz p. 9, 1. C. Fr. Hermann p. 9. Ueberweg-Nietzsche p. 10, 1. Lutoslawski p. 10. Teichmueller p. 10 sq. Holzinger p. 10, 3. Lueddecke, Sudhaus, Bergk p. 11. Phaedrus post Isocratis orationem XIII? p. 12 sq. Phaedrus post Isocr. π. τ. ζεύγους? p. 13 sqq.

b) de Euthydemi p. 304 D sqq. disputatio . 15—25
Anonymus Lysias? 17
Antiphon 17
Thrasymachus 18
Polycrates 18, 1
Theodorus 18
Isocrates non λογογράφος . . . . 18 sqq.
— philosophiam non abiecit . . . . . 20 sqq.
(de voce ‘ἰδέα’ 21, 1)
(— — ‘φιλοσοφία’ 22, 2)

Pars II: Num Isocrates Platonis laude (Phaedr. p. 278E sqq.) et amicitia (Diog. L. III 8) indignus fuerit . . . 25—73

a) habebant communes adversarios . . 25—37
1. sophistas 25
2. Antisthenem 28, 33
3. Lysiam . . . . 35 sq.

b) habebant communes discipulos . . . 38—54
1. Isocr. Apolloniatam 38
2. Hyperidem 38
3. Lycurgum 39

pag.
4. Philiscum 39
5. Clearchum 40
6. Timotheum 41
7. Pyth. Byzantium 43
8. Hieronymum 43
9. Charmantidem 43
10. Cephisodorum . . . . 44, 47 sq.
11. Theodectem . . . . 50 sqq.
[digressio de Aristotelis et Isocratis necessitudine . . . . 45, 46, 48 sq.]
Transit.: De Praxiphanis dialogo . . 53
c) habebant communes sententias . . . 54—73
1. de poetis . . . . 54—59
α) de comoedia 55
β) de Homero et tragicis . . . . . 56 sqq.
2. de republica . . . . 59—73
Epilogus . . . . 73 sq.

Vita.

Natus sum Benno Lothar von Hagen Gerae 22. die mens. Dec. a. MDCCCLXXXIII patre Paulo negotiatore, qui simul decurionis munere Gerae fungitur, matre Paulina e gente Luboldtia. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium Rutheneum Geranum, quod tunc Alberto Grumme directore floruit, postquam per novem annos frequentavi maturitatis testimonium adeptus studiis me dedidi imprimis philologicis atque primum Monachii per annum magistris usus praeclarissimis Furtwaengler, Lipps, I. Mueller, Poehlmann, Weyman, Woelfflin; seminarii philologici sodalis fui per sex menses. Deinde Ienam petii per ter sex menses, ubi proseminario per sex menses, seminario interfui per annum Gelzero, Goetzio, Hirzelio moderatoribus doctissimis humanissimisque, quibus quid debeam nulla oblivio delebit. Benigne etiam admisit F. Noack, ut archaeologicarum exercitationum sodalis fierem, post illius discessum B. Graef. Hieme MCMIV/V Berolinum me contuli, ubi me docuerunt per annum viri doctissimi: H. Delbrueck, Diels, Kekule v. Stradonitz, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff. Ad exercitationes historicas Ed. Meyer benigne aditum mihi concessit, ex quibus scholis etiam ad hoc opusculum componendum non parvam percepi utilitatem. Seminario archaeologico ut adscriberer Reinhardi Kekule comitate permissum est. Deinde Ienam reversus iterum philologorum ordini ascriptus sum. Docuerunt autem me Ienae viri doctissimi: Cartellieri, B. Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Graef, Hirzel, Noack, Rein, Schrader, Wilhelm. Quibus viris humanissimis omnibus gratiam ago quam maximam; praeter ceteros autem Rudolfo Hirzel, qui largus consiliis, indefessus auxilio etiam in hoc libello perficiendo benignissime me adiuvit, quam liberalitatem animi semper recordabor.

pag.
4. Philiscum 39
5. Clearchum 40
6. Timotheum 41
7. Pyth. Byzantium 43
8. Hieronymum 43
9. Charmantidem 43
10. Cephisodorum . . . . 44, 47 sq.
11. Theodectem . . . . 50 sqq.
[digressio de Aristotelis et Isocratis necessitudine . . . . 45, 46, 48 sq.]
Transit.: De Praxiphanis dialogo . . 53
c) habebant communes sententias . . . 54—73
1. de poetis . . . . 54—59
α) de comoedia 55
β) de Homero et tragicis . . . . . 56 sqq.
2. de republica . . . . 59—73
Epilogus . . . . 73 sq.

Vita.

Natus sum Benno Lothar von Hagen Gerae 22. die mens. Dec. a. MDCCCLXXXIII patre Paulo negotiatore, qui simul decurionis munere Gerae fungitur, matre Paulina e gente Luboldtia. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium Rutheneum Geranum, quod tunc Alberto Grumme directore floruit, postquam per novem annos frequentavi maturitatis testimonium adeptus studiis me dedidi imprimis philologicis atque primum Monachii per annum magistris usus praeclarissimis Furtwaengler, Lipps, I. Mueller, Poehlmann, Weyman, Woelfflin; seminarii philologici sodalis fui per sex menses. Deinde Ienam petii per ter sex menses, ubi proseminario per sex menses, seminario interfui per annum Gelzero, Goetzio, Hirzelio moderatoribus doctissimis humanissimisque, quibus quid debeam nulla oblivio delebit. Benigne etiam admisit F. Noack, ut archaeologicarum exercitationum sodalis fierem, post illius discessum B. Graef. Hieme MCMIV/V Berolinum me contuli, ubi me docuerunt per annum viri doctissimi: H. Delbrueck, Diels, Kekule v. Stradonitz, Paulsen, E. Schmidt, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff. Ad exercitationes historicas Ed. Meyer benigne aditum mihi concessit, ex quibus scholis etiam ad hoc opusculum componendum non parvam percepi utilitatem. Seminario archaeologico ut adscriberer Reinhardi Kekule comitate permissum est. Deinde Ienam reversus iterum philologorum ordini ascriptus sum. Docuerunt autem me Ienae viri doctissimi: Cartellieri, B. Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Graef, Hirzel, Noack, Rein, Schrader, Wilhelm. Quibus viris humanissimis omnibus gratiam ago quam maximam; praeter ceteros autem Rudolfo Hirzel, qui largus consiliis, indefessus auxilio etiam in hoc libello perficiendo benignissime me adiuvit, quam liberalitatem animi semper recordabor.